



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Pa[rs] III. De Charitate.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

cordiæ divinæ, aut post lapsum in unum mortale multa alia committere, eoquod æquè facilè sit obtinere veniam multorum, quàm unius, quasi Deus suâ misericordiâ esset fautor criminum, contra illud ad Rom. 2. *Ignoras quoniam benignitas Dei ad penitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, &c.* Nam hæc & similia sunt divinæ bonitati, misericordiæ, vel potentiæ, vel gloriæ, vel providentiæ ac ordinationi, vel justitiæ graviter injuriosa.

PARS TERTIA.

De Charitate.

CAPUT I.

De natura Charitatis.

Q. I. *Quid est Charitas?*

Not. Amor propriè dictus est affectus, quo voluntas adhæret bono, præcisè quia bonum est. Dividitur in amorem charitatis, & concupiscentiæ. Amor Charitatis, seu benevolentia est ille, quo quis amat alterum propter ipsum, & bona illius tanquam bona illius: quia sibi com-
placet

placet in illius persona, propter propriam eius perfectionem. Hic amor vocatur amicitia, quando persona amata similiter afficitur erga personam amantem. Amor concupiscentiæ est ille, quo quis amat se ipsum, & bona sua tanquam sua, vel alium tanquam sibi bonum.

Resp. Charitas actualis, quæ præcipitur, est actus amoris benevolentiae, quo Deum supra omnia propter se, & nos ipsos, & proximum sicut nos ipsos, propter Deum amamus. Ex S. August. lib. 8. de Trin. cap. 8. *Ex una eademque Charitate Deum, proximumque diligimus: sed Deum propter Deum, nos autem, & proximum propter Deum.* Charitas verò habitualis est habitus per se infusus, actuum Charitatis cum auxilio gratiæ elicitivus.

Quare *ex communi*, Charitatis objectum materiale primum est Deus, secundarium nos ipsi, & proximus: nam eodem habitu Charitatis, quo Deum amamus, etiam nos ipsos, & proximum propter Deum diligimus; quia creaturæ intellectuales beatitudinis capaces sunt aliquid specialiter ad Deum pertinens; & Charitas est perfecta amicitia cum Deo: est autem perfectæ amicitiae non solum amare primum eum, quo eum primum, & perse contrahitur amicitia, sed etiam secundario, & propter illum diligere ea, quæ ad ipsum pertinent.

Ob.

Objectum verò formale, seu motivum est Deus ipse, quatenus in se bonus, ac perfectus, sive est infinita Dei bonitas absoluta, quæ adæquatè sumpta est complexio omnium perfectionum possibilium, & infinitarum, sive ipsum esse divinum absolutè, & in omni genere infinitè perfectum; nam Charitas est amor benevolentia, & amicitia erga Deum; & per amorem amicitia amamus alterum propter ipsum, & volumus ei bonum, ut ejus bonum est, propter propriam ejus perfectionem. Hinc Charitas differt ab amore Spei, seu concupiscentia, quo amamus Deum præcisè ut nostrum summum bonum, seu quatenus nobis bonus est, & nos perfectè beare potest. Charitas verò est amor benevolentia, & amicitia, quo amamus Deum, quia in se bonus est, seu propter suam infinitam amabilitatem; cum enim Charitas sit virtutum omnium præstantissima, debet habere motivum omnium præstantissimum, ideoque Deum ipsum prout est in se.

Q. 2. Quanam bona Deo velle debemus?

Resp. Deo velle debemus bona tum intrinseca, tum extrinseca. Bona Dei intrinseca sunt omnes perfectiones possibilis infinitæ, quas Deus habet in se. Bonum Dei extrinsecum est gloria ejus extrin-

trinseca, quæ consistit in manifestatione ejus perfectionum, & in eo, quòd perfectè cognoscatur, colatur, laudetur, & ametur à Creaturis. Itaque cum amare sit velle bonum, amare Deum est illi hæc omnia bona velle, scilicet velle illi per modum complacentiæ, ac gaudii omnes perfectiones infinitas, quas habet; velle per modum desiderii, seu optare efficaciter, & quantum in nobis est efficere, ut à nobis, & omnibus Creaturis cognoscatur, laudetur, colatur, & perfectè ametur.

Q. 3. *An charitas est virtus omnium excellentissima?*

Resp. Aff. Constat ex 1. ad Cor. 13. Major autem horum est charitas. & ad Coloss. 3. Super omnia charitatem habete, quod est vinculum perfectionis. Quippe habet objectum, & motivum omnium perfectissimum; attingitque Deum modo perfectissimo, nempe propter seipsum,

Q. 4. *Quinam sunt charitatis actus proprii, & elicit?*

Resp. Sunt amor, benevolentia, affectus unionis, complacentia de perfectionibus divinis, desiderium ejus gloriæ, &c. Odium, & dolor circa malum bono divino contrarium ut tale, scilicet peccatum.

CA.

CAPUT II.

De Præcepto Charitatis.

ARTICULUS PRIMUS.

De Præcepto Charitatis erga Deum.

Q. 1. **A**N extat præceptum Charitatis erga Deum, & ad quid obligat?

Resp. I. Extat præceptum amoris Dei speciale, & ab aliis omnibus distinctum. Constat I. ex Mat. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum, & primum mandatum. At mandatum, quod est primum, & maximum, est sanè præceptum speciale, & ab aliis distinctum. Et quidem primò, & per se maximè datum, ita ut cætera omnia præcepta eo fine dentur, ut hoc ex omni parte perfectè observetur, juxta illud. I. Ad Tim. I. Finis præcepti Charitas.*

2. Ex Ss. Patribus. Pro omnibus sit S. Aug. qui lib. I. Conf. c. 5. ait: *Quid tibi sum ipse, ut amari te jubeas à me; & nisi faciam irascaris mihi, & mineris ingentes miseras? parvane ipsa est, si non amem te?*

3. Ex

3. Ex propos. damnata ab Alexandro VIII. damnata ut Hæretica: *Sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè: hunc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vite sue mortalis.* Quæ propositio fuerat jam ante à S. Facultate Mussipontana speciali Decreto damnata.

4. Quia cum Deus sit objectum summè amabile propter se, & finis ultimus rerum omnium, non potuit sapienter non præcipere creaturæ amoris capaci, & liberæ, ut seipsum supra omnia propter se amet. Præterea, (ut ait S. Thom.) id quod est finis, per se debitum est, cum habeat rationem boni per se. At Charitas Dei ist finis omnium præceptorum, cum Deum tanquam finem attingat immediatè, & modò perfectissimo, nempe supra omnia propter se ipsum, & ut in se est: ergo est per se maximè debita.

Resp. II. Hoc præceptum, prout est affirmativum obligat. I. Ad eliciendum certis temporibus actum internum supernaturalem amoris Dei supra omnia propter se; ut constat ex illis verbis, *Diliges ex toto corde*, in sensu proprio significantibus internum dilectionis affectum, qui (ut exponunt Patres, & Doctores) sit amor benevolentiaë efficac, & appetitativè summus, vi cuius homo Deo, utpote summè amabili, ac bono, adhæreat supra omnia
pro-

propter se, ipsi omnia bona velit, & faciat ea, quæ Deus ab illo saltem graviter, exigit, se suamque beatitudinem, & cætera omnia ad Dei gloriam referat, malitque privari omni bono creato, & pati omne malum, quàm Deum offendere saltem graviter.

Itaque amor, qui primo, & maximo mandato præcipitur, debet esse 1. Internus, verus, ac propriè dictus, ut patet ex his verbis præcepti, *diliges ex toto corde.*

2. Debet esse appretiativè summus in adhæsiōe, ita ut Deum plus amemus, quàm nos ipsos, & creaturas omnes, malimúsque privari omni bono creato, & pati quodvis malum, quàm Deum offendere saltem graviter. Constat tum ex Patrum, ac Theologorum, & totius Ecclesiæ consensu, tum ex his verbis præcepti, *ex toto corde, & in tota anima tua, & in tota mente tua.* tum ex Matth. 10. *Qui, amat Patrem aut Matrem plusquam me, non est me dignus. Et qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus.* Et ex ad Rom. 8. *Quis nos separabit à caritate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? ... Certus sum: quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque Creatura alia poterit nos*

Tom. 1.

Cc

se-

separare à caritate Dei. Tum quia hunc amorem exigit summa, ac infinita excellentia bonitatis divinæ. Enim verò cum Deus sit per suam essentiam infinitè bonus, & perfectus in omni genere excellentiæ, atque finis ultimus rerum omnium, ideoque infinitis titulis magis diligendus, quàm quodlibet aliud bonum; nulla Creatura potest ei affectu, & adhæsiōne præferri, aut æquari, sine gravi ejus injuria, ac contemptu. Præterea amor, qui à Deo præcipitur, debet esse proportionatus Deo summè bono, & amabili: at talis non esset, si Deus non plus amaretur, quàm quælibet creatura, quæ præ Deo nihil est. Igitur cum amabilitas sit mensura amoris, utpote ejus motivum, summa amabilitas exigit amorem summum appetitativè.

3. Amor Dei præceptus debet esse efficax, & universalis in suis effectibus, hoc est, debet ita voluntatem afficere, ac disponere, ut semper sit parata ad servanda omnia præcepta, & vitandum omne peccatum, saltem mortale. Unde amor ille Dei continet propositum saltem virtuale efficax servandi omnia alia præcepta: nam amor ille non est solùm complacentia de divinis perfectionibus, sed est etiam amor, seu affectus voluntatis efficax efficaciter movens ad facienda ea, quæ Deo placent, & ipse exigit saltem graviter, & ad vitanda ea, quæ ei displicent: amor enim, qui præcipitur, est

est amor *ex toto corde, & ex tota anima* & *ex tota fortitudine*, ut habetur Deut. 6. qui sanè amor est efficacissimus. Amare autem efficaciter est bonum velle: & facere amato, nec eum offendere saltem graviter. Deinde amor non potest esse appetiatiuè summus, nisi Deus, & ejus amicitia præferatur omni bono creato; ita ut malimus omne bonum creatum amittere, & quodvis malum pati, quàm Deum offendere graviter, & ejus amicitiam amittere, ideòque efficaciter parati simus ad nullum præceptum saltem in re gravi, unquam violandum. Quare præceptum charitatis obligat ad Dei amorem tum affectivum, tum effectivum, & ad servanda omnia alia præcepta, ut constat ex Joan. 4. *Si diligitis me, mandata mea servate... qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me.* Et 1. Joan. 5. *Hac est charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus.* Hinc transgressiones aliorum præceptorum sunt etiam communi ratione contra charitatem, ejusque habitum destruunt, si sint in re gravi.

4. Amor charitatis erga Deum debet esse purus in suo motivo; nam ejus motivum est Deus ipse absolute, ac in se spectatus, seu Deus ut est in se infinite bonus, ac perfectus, sive est ipsa Dei amabilitas infinita, & bonitas absoluta, ita ut Deus super omnia ametur propter seipsum, seu quia in

se bonus, ac perfectus est. Ita Theologi communiter. Prob. 1. ex S. August. qui lib. 1. de Doctr. Christ. cap. 27. ait Deum diligendum esse propter seipsum. & lib. 8. de Trinit. cap. 8. *Ex una, eademque Charitate Deum, proximūque diligimus, sed Deum propter Deum.* & in Psal 53. *Deus noster laudetur voluntate, ametur Charitate; gratuitum sit quod amatur, & quod laudatur. Quid est gratuitum? ipse propter se, non propter aliud...* ex S. Bern. lib. de Diligendo Deo ubi ait: *Causa diligendi Deum Deus est, modus sine modo diligere... non sine premio diligitur Deus, etsi absque premii intuitu diligendus sit. Vacua nempe vera Charitas esse non potest, nec tamen mercenaria est... verus amor premium non requirit, sed meretur.* Et Epist. 11. *est qui confitetur Domino, quoniam potens est, & timet sibi, & est, qui confitetur, quoniam sibi bonus est: & item qui confitetur, quoniam simpliciter bonus est. Primus servus est, & timet sibi; secundus mercenarius est, & cupit sibi; tertius filius, & defert Patri. Itaque & qui timet, & qui cupit, uterque pro se agunt. Sola, qua in filio est, Charitas, non querit, qua sua sunt.* Et ex S. Thom. 2. 2. q. 17. a. 8. & q. 23. a. 5. ad 2. ubi ait: *Charitate diligitur Deus propter seipsum. Unde una sola ratio diligendi attenditur principaliter à Charitate, scilicet divina boni-*

bonitas, qua est ejus substantia. Et a. 6. Fides, & Spes attingunt quidem Deum, secundum quod ex ipso provenit nobis vel cognitio veri, vel adeptio boni: sed Charitas attingit ipsum Deum, ut in ipso sistat, non ut ex eo aliquid nobis proveniat.

2. Ex ipsa Ecclesiae Doctrina tradita in Catechismis, in quibus Charitas definitur Virtus, per quam amamus Deum supra omnia, & proximum sicut nos ipsos propter Deum: Ergo Charitatis motivum est Deus simpliciter, ideoque absolute, & in se consideratus. 3. Quia Charitas est amor benevolentiae, & amicitiae erga Deum. At per amorem amicitiae amamus alterum propter ipsum, & volumus ei bonum, ut ejus bonum est, propter propriam ejus perfectionem. Et verò quis putet se ab alio amari ut amicum, si sciret se solum ab eo amari, quia ei bonus, ac benignus est? Præterea Charitas, cum sit virtutum omnium præstantissima, debet habere motivum omnium præstantissimum, ideoque Deum ipsum, prout est in se. Equidem debemus etiam amare Deum ut nostrum summum bonum, quod nos perfecte beare potest; sed hic amor non est amor Charitatis, sed Spei, & concupiscentiae.

Verum tenemur insuper Deum supra omnia amare propter se, seu quia est in se infinite bonus, ac perfectus, atque nos ipsos, & beatitudinem nostram referre ad ejus

gloriam; & hic est proprius actus Charitatis: *Est enim Charitas amicitia honesta, qua amicus amatur propter se*, ait Toletus. & ita docet S. Thom. 2. 2. q. 17. a. 8. & q. 23. a. 1. post S. August. lib. 1. de Doctr. Christ. cap. 27. Quare Filiuccius ex aliis docet, esse mortale diligere Deum principaliter propter beatitudinem, ita, ut si hæc deesset, Deus non diligeretur supra omnia. Licitum est tamen, ac bonum diligere Deum propter mercedem æternam tanquam finem minùs principalem.

Resp. III. Hoc præceptum, prout est negativum, prohibet pro quolibet tempore omnem generaliter Dei offensam, ita ut omnia peccata mortalia sint contra Charitatem, ejùsque habitum destruant; nam per quodlibet peccatum mortale Creatura præfertur, vel æquatur Deo super omnia diligendo: specialius tamen, & magis directè vetat odium Dei.

Q. 2. An tenemur etiam amare Deum supra omnia intensivè, seu cum majore intensione, vehementia, & conatu, quàm omnes creaturas?

Resp. Communiter negant Theologi: quia intensio est Charitatis perfectio solum accidentalis, & sine majori illa intensione servatur præceptum de ordine Charitatis.

ritatis, eo modo, qui satis sit, ut Charitas erga Deum sit re, & opere efficacior, quàm amor cujuslibet objecti. Quod autem præcipuum est in Charitate, est ut sit efficax erga Deum, qui affectu, & opere propter se præferatur omnibus creaturis. Deinde cum Deus amatur appretiatione summa, amatur modo actum amoris constituente in gradu excellentiæ, ad quem nullus perungere potest amor erga creaturam ordinatus, etiamsi infinita intensione amaretur: & sic tunc Deus amatur modo proportionato suæ excellentiæ, ideóque modo sufficiente ad impletionem præcepti.

Præceptum autem diligendi Deum ex toto corde intelligunt de totalitate appretiationis, non intensiõis. Appretiatio verò consistit non in vehementia, & conatu affectûs, sed in libera præelectione, & prælatione. Certè quando affectus erga creaturam actu obsistit amori Dei appretiativè summo; tunc opus est maximo conatu voluntatis, ut Deus supra omnia ametur.

Q. 3. *Quandonam præceptum Charitatis obligat ad amandum Deum?*

Resp. Sub mortali obligat per se ad elicendum actum internum amoris Dei supra omnia propter se. I. Ubi primùm, moraliter loquendo, quis rationis usum adeptus

tus est, & habet sufficientem Dei notitiam, quam quidem tunc quisque sibi comparare tenetur. *Ita S. Thom. 1. 2. q. 89. a. 6. Toletus, Layman, & alii multi.* Nam recta ratio dicit, Creaturam rationalem, ubi primum moraliter loquendo capax est cognitionis, & amoris Dei, eum debere amare ut rerum omnium finem ultimum, propter quem facta sunt omnia, & ad quem proinde omnes se, suaque omnia, ac totum vitæ cursum referre debent, & consequenter Deum super omnia propter se amet, impleatque primum, & maximum mandatum. Unde Cajet. & Navar. dicunt teneri omnes hoc omissionis peccatum confiteri in dubio, an tunc actum Charitatis elicuerint, nec ne.

2. In quovis probabili periculo mortis, quamvis Sacramenta suscepta sint. *Ita communiter.* Tum quia hic sæpius ratione sui præceptus est, & tempus maxime necessarium est articulus mortis. Tum quia homo instante termino vitæ tenetur perfectè tendere in finem suum ultimum, *Sive enim vivimus, Domino vivimus: sive morimur, Domino morimur.* ad Rom. 14.

3. Quando est periculum labendi in mortale, nisi actus amoris eliciatur, & ingruit gravis tentatio, quæ non putetur posse aliter superari: nam ex Charitate Dei tenemur ejus offensam vitare, & media ad hoc necessaria adhibere.

4. Sæpissime in decursu vitæ , ut satis patet tum ex natura Charitatis , quæ est finis omnium præceptorum , & actionum ; & quæ (ut ait S. August. in Psal. 121.) vacare non potest in anima amantis : nam Charitas est amicitia quædam cum Deo : amicitia autem Divinæ ratio , Deique bonitas infinita exigit , ne diutiùs amorem erga Deum differamus , & rarò eliciamus ; sed ut , quàm primùm possumus , & sæpissime in vitæ curriculo Deum amemus. Tum ex verbis præcepto additis , quibus Deus jubet illud ferè semper habere in mente , videlicet ut actus amoris sæpissimè eliciatur. Deut. 6. *Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo , & ex tota anima tua , & ex tota fortitudine tua. Eruntque verba hæc , quæ ego præcipio tibi hodie , in corde tuo : & narrabis ea filiis tuis , & mediteris in eis , sedens in domo tua , & ambulans in itinere , dormiens , atque consurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tua , eruntque , & movebuntur inter oculos tuos , scribesque ea in limine , & ostiis domus tua.* Et verò nullus est habens jus exigendi ab alio amorem , qui petat , ut semel tantum aut rarò ametur , sed is exigit , potius ut sæpè affectu , effectûque ametur. Ergo à fortiori jure Deus amoris erga se actum sæpius totâ nostrâ vitâ iteratum à nobis exigit. Præterea ommissio amoris Dei per tempus notabile includit , quem-

dam contemptum divinæ amicitiae. Hinc ab Innoc. XI. damnatae sunt propos. 6a. *Probabile est, ne singulis quidem rigore quinquenniis per se obligare præceptum Charitatis erga Deum.* 7a. *Tunc solum obligat quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, quâ justificari possimus.*

Quoties autem intra annum obliget per se, non potest facile determinari. Scotus putat, adultos obligari ad illum actum singulis diebus Dominicis, & Festis. Quam opinionem ait Cardenas noster non esse contemnendam: quia cum constet hunc actum frequenter in vita eliciendum esse, & tempus definiendum sit ex judicio prudenti, videtur prudens designatio temporis esse dies cultui divino dicatus: cultus enim optimus est actus Charitatis, ut docet S. August. Idem Cardenas asserit esse mortale, si intra mensem integrum omittatur. Suarez verò lib. de Orat. cap. 30. docet, divinæ præcepta affirmativa, ut Charitatis, & similia, obligare, ut actus eorum non multo tempore differantur: in particulari autem judicare, quando sit nimia dilatio, vel quæ sit debita frequentia, prudenti arbitrio relictum videri ex natura rei.

Obligat verò ex Virtute Religionis, quando quis culpæ mortalis conscius, deficiente Confessario, tenetur celebrare, vel Sacramentum quodvis conficere, aut susci-

scipere. Nam tunc obligatur ad Actum Contritionis perfectæ, quæ includit Actum Charitatis. Requiritur etiam hic actus ad justificationem extra Sacramentum.

Ex dictis collige Parentes, & Parochos graviter teneri suos docere obligationem, & modum eliciendi actus Fidei, Spei & Charitatis: Confessarios verò teneri curare, ut poenitentes in mortis periculo hos actus eliciant.

Nat. Ex De Lugo. Præcepta Fidei, Spei, & Charitatis sunt in aliquo sensu supernaturalia, & in aliquo etiam sensu naturalia. Sunt supernaturalia tum ex parte objecti, tum ex parte suorum actuum: nam impleri nequeunt nisi per actus supernaturales, quatenus Deus elevavit hominem ad finem supernaturalem per tales actus supernaturales consequendum. Sunt verò naturalia ex parte obligationis, quia ex suppositione, quòd Deus elevaverit hominem ad finem supernaturalem consequendum per actus supernaturales, eo ipso absque alio novo præcepto, & ex natura rei obligatur homo ad eliciendos actus supernaturales necessarios ad finem illum obtinendum: nam ex obligatione diligendi Deum, & seipsum, obligatur ad comparandum finem illum adeò sublimem, ac perfectum, & consequenter ad adhibenda media necessaria ad talem finem. Quare
Lex

Lex naturalis ad tales actus supernaturales obligat sub conditione elevationis: in statu autem naturæ puræ esset obligatio amandi Deum super omnia propter se actu naturali.

Q. 4. *An ex præcepto Charitatis tenemur omnes actiones nostras referre ad Deum?*

Resp. Aff. Prob. 1. Ex S. August. lib. 1. de Doct. Christ. c. 22. ubi ait: *Hæc Regula dilectionis divinitus constituta est: Diliges proximum sicut te ipsum; Deum verò ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, ut omnes cogitationes tuas, & omnem vitam, & omnem intellectum in illum conferas, à quo habes ea ipsa, quæ confers. Cum autem ait: toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat.* 2. Ex S. Th. 1. 2. q. 100. a. 10. ad 2. ibi. *Sub præcepto Charitatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde: ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum: & ideò præceptum Charitatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum.* 3. Quia ex præcepto Charitatis tenemur amare Deum ut finem ultimum rerum omnium; & Deus non amatur ut finis ultimus rerum omnium, nisi omnia in ipsum referantur.

Porro

Porro omnes actiones nostras generatim ad Deum ex affectu Charitatis referre tenemur tunc tantum, cum urget præceptum amandi Deum propter se ut finem ultimum rerum omnium; nam præceptum Charitatis non obligat ad referendum omnes actiones, & omnia in Deum, nisi obligando ad amandum Deum propter se ut finem ultimum rerum omnium. Quare non tenemur omnes omnino actiones singillatim elicere ex motivo seu affectu Charitatis; alioqui omnia opera infidelium, imo & fidelium in statu peccati manentium essent peccata; quod est error ab Ecclesia damnatus: item actus, quo quis detestatur peccatum præcisè ob metum pœnarum, esset malus, quod repugnat tum Conc. Trident. sess. 6. Can. 8. & sess. 14. cap. 4. tum S. August. qui in Psalm. 127. ait: *Ille timor nondum castus præsentiam Domini, & pœnas timet; timore facit, quidquid boni facit, non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum. Non timet, ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet, ne mittatur in gehennam. Bonus est, & iste timor, utilis est.* Præterea Alexander VIII. damnavit has propos. 10. *Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, merè ut caelestem obtineat gloriam, non est recta, nec placens Deo.* 11. *Omne, quod non est ex fide Christiana superna-*

turali, que per dilectionem operatur, peccatum est. Denique actus eliciti ex motivo aliarum virtutum sunt boni, ac liciti; alioquin non essent actus virtutis.

Tamen dum non referimus ex affectu Charitatis actiones nostras ad Deum, tunc referemus eas ad eius gloriam referre virtualiter, seu implicite, & ex intentione, seu natura operis (ut ajunt) agendo scilicet ex motivo alicujus virtutis, & honestatis. Prob. 1. ex 1. ad Cor. 10. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite.* Id esse precepti satis indicat verbum imperativum, *facite*, quod in sensu proprio sonat imperium, seu mandatum, dum materia id patitur; & docet S. Thom. in Epist. ad Coloss. cap. 3. ubi ait: *Quidam dicunt quod hoc est Consilium, sed hoc non est verum.* 2. Ex S. August. in Psal. 65. *Quo sine facias, vide. Si ideo facis, ut tu glorificeris, hoc prohibui: si autem à Deo, ut Deus glorificetur, hoc iussi.* & ex S. Basil. in Reg. interrogat. 195. ubi ait: *Omnia propter Deum ex Dei mandato facienda.* Idem docent alii Patres. 3. Quia debemus Deo omnes actiones nostras ex titulo Creatoris, ac Redemptoris, & vi supremi ejus Domini, ex quo omnes actus nostri magis debentur Deo, quam cuivis Domino temporali opera servi. Ergo omnes actus nostri debent ad Dei obsequium referri, fal-

saltem ex natura operis. 4. Quia (ut aliàs probatum est,) semper tenemur agere propter finem honestum, ideóque ex motivo alicujus virtutis. At omnis honestas, & actus virtutis ex natura sua refertur, & ordinatur ad Deum tanquam ad Regulam, fontem, ac finem omnis honestatis, & ex se tendit ad Dei gloriam, cum sit conformis ejus voluntati, eique placeat.

ARTICULUS II.

De Præcepto Charitatis erga Proximum.

Q. I. *AN datur præceptum diligendi proximum, & ad quid obligat?*

Resp. I. Extat præceptum speciale diligendi proximum non tantum actu externo, sed etiam interno, & amore benevolentiae, quo ei velimus bonum, quatenus ejus bonum est. Constat ex Matth. 22. *Secundum autem (mandatum) simile est huic: diliges proximum sicut teipsum. & ex Joan. 15. Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos. Et 1. Joan. 4. Hoc mandatum habemus à Deo, ut, qui diligit Deum, diligit & fratrem suum.* Dilectio autem est affectus voluntatis, quo volumus bonum personæ
ama-

amata. Hinc Innoc. XI. damnavit has
 propos. 10 *Non tenemur proximum dili-
 gere actu interno & formali.* 11. *Præ-
 cepto proximum diligendi satisfacere possu-
 mus per solos actus externos.*

Resp. 11. Hoc præceptum complectitur
 omnes creaturas rationales ejusdem nobis-
 cum beatitudinis capaces ; nam ii omnes,
 & soli Charitate divina amari possunt, &
 debent, quibus debemus, & possumus prop-
 ter Deum velle summum bonum beans, in
 cujus communicatione, & capacitate fun-
 datur dilectio Charitatis. Ac proinde
 complectitur omnes Angelos, ac homines
 beatos, animas in Purgatorio detentas, &
 omnes homines viatores ; sive sint justii,
 amici, consanguinei, Catholici ; sive pec-
 catores, inimici, extranei, & infideles : sunt
 enim hi omnes nobis proximi communio-
 ne capacitatis ejusdem beatitudinis, ac hæ-
 reditatis æternæ, quam jam beati possi-
 dent, & ad quam alii destinantur, & quam
 possunt consequi, quamdiu in via sunt.
 Ideoque amandi sunt amore benevolentia,
 tendentis ad unionem, quæ intercedere de-
 bet inter fratres, & cohæredes. Unde te-
 nemur omnes omnino homines in univer-
 sali amare, nullo excepto ; in particulari
 verò hos determinatè, quibus opitulari de-
 bemus, vel in quos odium deponi nequit,
 nisi sigillatim actu interno diligantur.

Hinc soli Dæmones, & homines jam
 dam-

damnati excipiuntur: quia Charitas est amor benevolentiae, quo volumus praecipue beatitudinem aeternam, & quae ad eam conducere possunt. At hoc non licet damnatis velle; nam amor ille repugnaret Charitati erga Deum, qua approbamus ejus justitiam, inquit S. Th. q. 25. 2. 11.

Resp. III. Hoc praecipuum, ut est affirmativum, obligat ad amandum proximum propter Deum amore benevolentiae affectivo, & effectivo, sicut nos ipsos amamus, non quidem secundum omnimodam qualitatem, (ut ait S. Thom.) sed secundum similitudinem; ita ut idem bonum proximo velimus, & ei quantum possumus procuremus in necessitate, quod tenemur nobis velle, & rationabiliter volumus: & quidem principaliter beatitudinem aeternam, ac media ad eam assequendam necessaria; secundario autem bona temporalia necessaria ad vitam corporalem convenientem, & quatenus ex auxilio gratiae ad salutem conducunt, eaque, quantum possumus, ei procuremus in ejus necessitate. *Velle debemus, ut omnes nobiscum diligant Deum, & totum, quod vel eos adjuvamus, vel adjuvamus ab eis, ad unum illum finem referendum est.* ait S. August. lib. 1. de Doctr. Christ. c. 29.

Obligat autem ad eliciendum saepe in vita actum internum amoris supernaturalis erga proximum propter Deum, & ad exer-

cendum externum, seu effectivum amorem positum in opitulatione proximi, sive spiritali, sive corporali, quoties ipse indiget, & possumus ei opitulari: nam amare est bonum velle, & facere, cum possis, juxta illud 1. Joan. 3. *Non diligamus verbo, neque linguâ, sed opere, & veritate.* Deinde internus amor proximi præceptus est in bonum, ac utilitatem proximi: at non potest prodesse proximo, nisi per Beneficia, & auxilia.

Dixi, *Propter Deum*, hoc est, quia ad Deum pertinet ut imago ejus, ut capax dilectionis, & possessionis ejus, ut ab ipso Creatus, Redemptus, &c. Ita ut Deum in ipso amemus, &c. Et quia id Deo summè bono, & amato placet. Nam amare proximum propter aliquam utilitatem temporalem, vel quodvis aliud motivum naturale, non est actus Charitatis. *Siquis quemlibet amat, sed propter Deum non amat, Charitatem non habet.* ait S. Gregor. Homil. 38. in Evang. & S. August. lib. 1. de Doctr. Christ. cap. 27. ait: *Omnis homo, in quantum homo est, diligendus est propter Deum, Deus verò propter seipsum.* Et verò debemus diligere alios, sicut Christus nos dilexit, ex Joan. 15. supra cit. Christus autem omnes dilexit propter Deum.

Hinc objectum formale, seu motivum, Charitatis erga proximum est infinita Dei bonitas absoluta, seu amabilitas, quæ sicut
mo-

mouet ad amorem Dei, mouet quoque ad amorem proximi propter Deum; eo quòd ad Deum pertineat, & Deus amet omnes homines, etiam peccatores, quandiu sunt in via, volendo illis summi boni, nempe sui ipsius fruitionem, eis conferendo media ad eam assequendam sufficientia, aliàque bona, velitque, ut omnes amemus.

Resp. IV. Hoc præceptum, quatenus est negativum, vetat pro quouis tempore odium, & omnes actus oppositos amori benevolentia, ne scilicet proximo unquam velimus, optemus, inferamus malum spirituale; nec etiam temporale, saltem ut ipsius malum, & sine iusta causa, & auctoritate. Quod addo, quia ex iusta causa, & auctoritate potest inferri malum temporale proximo ob finem bonum, v. g. aliqua punitio à superiore correctionis causa, vel à iudice ob crimina ex motivo iustitia. Hinc nunquam licet odisse ullum hominem, quantumvis improbum, ex displicentia personæ, ei optando malum, quatenus ejus malum est, aut gaudendo de ejus malo ut ejus malo, vel dolendo de ejus bono, ut ejus bonum est. Duæ autem sunt Regulae generales duplicis hujus præcepti à scriptura traditæ, & lumine naturali notæ. 1. Pro affirmativo. *Omnia quaecumque vultis (rationabiliter) ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hac est enim Lex, & Propheta.* Mat. 7. 2. Pro negati-

vo. *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide, ne tu aliquando alteri facias.* Tob. 4. Hinc S. August. lib. de vera Relig. cap. 46. ait. *Ea est Regula dilectionis, ut, qua sibi vult bona provenire, & illi velit; & qua accidere sibi mala non vult, & illi nolit.*

Q. 2. *An tenemur diligere inimicos, id est, eos, qui nos, vel nostros oderunt, vel aliquâ injuriâ affecterunt?*

Resp. I. Præceptum Charitatis erga proximum obligat etiam erga inimicos, perinde, ac si tales non essent. *Ita omnes.* quia nihilominus sunt verè proximi, utpote ejusdem nobiscum æternæ beatitudinis capaces, per quam capacitatem nobis societate quadam junguntur. Quare tenemur eos non solum non odisse, sed etiam positivè diligere amore affectivo, non quidem ut sunt inimici, sed ut sunt homines beatitudinis capaces, & quia Deus vult, ut illos amemus. Et constat etiam ex Matth. 5. *Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro persecutibus & calumniantibus vos.* Quæ verba, juxta Ecclesiæ, & Patrum interpretationem continent verum præceptum, quod est etiam juris naturalis.

Resp.

Resp. II. Ex Charitate obligamur erga inimicos generatim ad ea omnia, ad quæ tenemur erga proximum, modo supra explicato; siquidem sunt verè proximi nostri. Speciatim verò tenemur 1. Omne in illos odium, ac vindictæ affectum rejicere, ac deponere, atque omnes offensas ex corde iis remittere, ita ut ob offensam illis non malè velimus, sed ea non obstante semper parati simus iis exhibere debita internæ dilectionis signa, etsi veniam non petant, imò in odio contra nos persistant, ex Matth. 6. *Si non dimiseritis hominibus: nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Et Eccli. 10. *Omnis injuria proximi ne memineris: & nihil agas in operibus injuria.* Unde nunquam licet iis velle malum ut eorum malum, nec de malo ut eorum malo gaudere, vel de eorum bono ut eorum bono dolere; hæc enim sunt odii actus. *Cùm ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina ejus ne exubret cor tuum: ne fortè videat Dominus, & displiceat ei.* Prov. 24. *Si de prosperitate addicitur, & de calamitate se odientis letatur, constat, quòd non amat.* ait. S. Gregor. lib. 22. Job. cap. 6. neque licet à Deo, vel hominibus vindictam injuriæ expetere ex displicentia personæ, multò minus eam sumere.

2. Tenemur eos non excludere ab actu interno Charitatis, quem erga proximum

elicimus, sed eos in eo generatim includere; imò in particulari hos numero, ac determinatè diligere, quoties periculum est, ne ob gravem injuriam acceptam eos oderimus, eisque malum optemus, ut sæpe contingit, nisi illud odium actu amoris, & oratione cohibeatur: nam tunc ille amor est medium necessarium ad servandum præceptum.

3. Tenemur inimicis ex interno affectu præstare communia dilectionis signa, & beneficia, quæ aliis ejusdem statûs, & conditionis præstare solemus, qualia quæ Christiano debentur à quovis Christiano, concivi à concive, cognato à cognato, pauperi à divite, superiori à subdito, &c. *Ita commun. S. Thom. 22. q. 25. a. 9.* nam tenemur inimicos diligere, eis benefacere, & pro eis orare, in particulari quidem, quando occurrit necessitas: & in communi extra casum necessitatis, quando scilicet alios homines in communi amamus, vel aliis hominibus benefacimus, aut pro eis oramus in communi, etiam absque obligatione. Hinc non licet inimicum excludere à communibus orationibus, vel elemosynis, à resalutatione, à responsione ad interrogata, mercium expositarum venditione, &c. Nam talis exclusio esset vindicta privato illicita, & in talibus circumstantiis signum odii præbens scandalum; ideoque de se adversatur Charitati, & quidem graviter.

Spe.

Specialia autem benevolentiae, signa, & beneficia non tenemur eis praestare per se loquendo, nisi iis indigeant; sed solum esse parati ad praebendum, quando egebunt: quia praecipuum de exhibenda benevolentia non obligat pro omni tempore, sed tantum in casu indigentiae proximi, juxta illud Prov. 25. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum... & Dominus reddet tibi.* Enimvero ex praecipuo Charitatis non aliter tenemur, per se loquendo, amare inimicos atque alios homines; nam non magis sunt proximi nostri, quam alii homines. Non tenemur autem per se loquendo amare alios homines in particulari ex lege Charitatis, nisi in casu necessitatis; & extra casum necessitatis sufficit, si eos amemus in communi, & eis communia benevolentiae signa exhibeamus.

Dixi, *Per se loquendo.* Nam ob circumstantias quasdam potest esse ratio obligationis ad ista specialia praestanda inimico, ut periculum scandali ex omissione, inimici necessitas spiritualis, vel temporalis, exhibitio specialium signorum amoris ex parte ipsius. Item si per aliqua specialia beneficia, vel signa amoris certo possis, saltem sine gravi incommodo, inimicum tibi, & Deo reconciliare, ad ea teneris; quamvis ille prior offenderit, & nolit inimicitiam deponere, nisi tu eum sic praevenias, juxta illud ad Rom. 12. *Noli vinci à malo, sed*

vince in bono malum. Quia ex Charitate tenemur grave damnum proximi, præsertim spirituale, licet ex ejus culpa obveniens, impedire, vel tollere, cum possumus saltem sine nostro gravi incommodo: Imò juxta Suarez, & alios, si inimicum ante offensam solebas salutare, alloqui, cum eo conversari, &c. Tametsi illa sint specialia dilectionis signa, teneris eadem præstare, nisi circumstantiæ speciales aliud postulent, vel excusent, ut si specialis illa benignitas inimico non sit profutura: quia istorum recusatio extra circumstantias speciales censetur communiter signum odii, vindictæ, vel contemptus, ac proinde odii fomitem, & scandalum præbet, & Charitati adversatur. Item tenemur specialia beneficia, & signa inimico exhibere, si ipse ea nobis prius exhibeat: nam horum ommissio censeretur moraliter vindicta, & signum inimicitæ: quæ præcepto negativo vetantur.

4. Tenemur inimico veniam petenti non solum offensam condonare ex animo, nempe odium, malevolentiam, & vindictæ appetitum rejiciendo, ac deponendo (ad quod obligamur etiam si non peteret) sed etiam externa benevolentia, & reconciliationis signa exhibere, habita ratione circumstantiarum. Tunc enim horum ommissio esset quædam odii declaratio, vindicta, & scandali causa. Excipe nisi sit Pater,
vel

vel quivis Superior, qui quandoque potest
justæ correctionis causâ erga liberos, vel
subditos benevolentia signa differre, mo-
dò intus Charitatem servet.

5. Tenemur inimicis in necessitate sive
spirituali sive corporali opitulari, & dam-
num in honore, fama, corpore, vel rebus
impedire, saltem dum sine nostro gravi
damno possumus. *Benefacite his, qui ode-
runt vos.* Mat. 5. nam ad id tenemur er-
ga proximum. Porro qui alterum injustè
offendit, tenetur veniam petere; nam id
exigit ratio justitiæ: quod si duo mutuo se
offenderunt, tunc si offensio sit æqualis
gravitatis, tenetur reconciliationem pe-
tere, qui prius offendit: si inæqualis, tene-
tur ille, qui gravius offendit; nisi fortè gra-
vior offensio æquaretur prioritati, offen-
sionis, judicio prudentis; tunc enim pares
essent.

Resp. III. Non tenemur remittere ini-
mico satisfactionem debitam, ut honoris,
famæ, vel pecuniæ: quia eam exigere non
est vindicta, sed usus juris. Quippe inju-
riam passus habet jus ad congruam satisfa-
ctionem, & jus illud per legitimam pote-
statem prosequendi. Et hæc compensatio,
seu restitutio non expetitur, quatenus est
malum inimici, sed quatenus in nostrum
bonum justum cedit, & malum nostrum
expellit. Imò adversus illum licet insti-
tuere actionem tum civilem, tum crimi-

nalem, modò id non fiat ex odio, vindicta, vel alio pravo fine. Civilem quidem, ut damnum illatum compenset, vel pro injuria satisfaciatur: criminalem verò ex amore publicæ justitiæ, ne aliis noceat, vel ne impunita maneant crimina cum Reip. damno. Qui tamen uterque procedendi modus ordinariè non vacat periculo, cum pauci amore justitiæ, aut boni communis ducantur, plurimi verò vindictæ explendæ desiderio. Ita S. Thom. 2. 2. q. 108. a. 1. ubi ait. *Vindicatio fit per aliquod pœnale malum inflictum peccanti. Est ergo in vindicatione considerandus vindicantis animus. Si enim ejus intentio feratur principaliter in malum illius, de quo vindictam sumit, & ibi quiescat, est omnino illicitum: quia delectari in malo alterius pertinet ad odium, quod Charitati repugnat, qua omnes homines debemus diligere. Nec aliquis excusatur, si malum intendat illius, qui sibi injustè intulit malum: sicut non excusatur aliquis per hoc, quod odit se odientem. Non enim debet homo in alium peccare propter hoc, quod ille peccavit prius in ipsum. Hoc enim est vinci à malo, quod Apostolus prohibet. Rom 12. Dicens, noli vinci à malo, sed vince in bono malum. Si verò intentio vindicantis feratur principaliter ad aliquod bonum, ad quod pervenitur per pœnam peccantis: puta ad emendationem* pec-

peccantis, vel saltem ad cohibitionem ejus, & quietem aliorum, & ad justitia conservationem, & Dei honorem, potest esse vindictio licita, aliis debitis circumstantiis servatis.

Æquam tamen ad arbitrium prudentum satisfactionem ab inimico oblatam acceptare tenemur ex Charitate: nec tunc licet judicem interpellare, nisi reus sit Reip. noxius, vel periculum sit, ne alios similiter injuriâ afficiat. Nam extra hos casus actionem civilem instituere, & inimicum sumptibus onerare est contra Charitatis legem vetantem, ne alteri facias, quod tibi non vis rationabiliter fieri.

Q. 3. *An vindicta, seu redditio mali pro malo, facta auctoritate privata semper est illicita?*

Resp. Aff. Constat 1. Ex Eccli. 28. *Qui vindicari vult, à Domino inveniet vindictam... Memento novissimorum, & desine inimicari.* Et ex Mat. 7. supra cit. & ex Rom. 12. *Nulli malum pro malo reddentes... Non vosmetipsos defendentes (hoc est ulciscentes.) Scriptum est enim: mihi vindicta, & ego retribuam, dicit Dominus, &c.* Et 1. ad Thess. 5. *Videte, ne quis malum pro malo alicui reddat.* 2. Quia vindicta privatâ auctoritate illata, est non solum contra Charitatem, sed eti-

ara

am contra justitiam: tum quia est usurpatio alienæ potestatis, nempe Superioris, ad quem solum punitio pertinet: tum quia quisque habet jus, ut non puniatur ab eo, qui nullam habet auctoritatem, & jurisdictionem in ipsum. Imò nunquam licet expectere punitorem inimici, etsi justam, & legitima auctoritate factam, quatenus ejus malum est; nam hoc est actus odii nunquam liciti.

CAPUT III.

De Ordine Charitatis:

Q. 1. *AN Ordo in Charitate servari debet?*

Resp. Aff. Ita omnes. Prob. 1. ex Cant. 2. *Ordinavit in me Charitatem.* 2. Ex S. Aug. lib. 1. de Doctr. Christ. cap. 27. *Ille justè & sanctè vivit . . . Qui ordinatam dilectionem habet, ne aut diligat, quod non est diligendum; aut non diligat, quod est diligendum; aut amplius diligat, quod est minus diligendum; aut equè diligat, quod vel minus, vel amplius diligendum est . . . Etsi Deus omni homine amplius diligendus est, amplius quisque debet Deum diligere, quàm seipsum. Item amplius alius homo diligendus est, quàm corpus nostrum: quia propter Deum ista omnia*

nia sunt diligenda; & potest nobiscum alius homo Deo perfrui, quod non potest corpus, quia corpus per animam vivit, qua fruimur Deo. 3. Ex S. Thom. 22. q. 44. a. 8. Modus, qui pertinet ad rationem virtuosi actus, cadit sub precepto, quod datur de actu virtutis: Ordo autem Charitatis pertinet ad ipsam rationem virtutis, cum accipiatur secundum proportionem dilectionis ad diligibile. Unde manifestum est, quod Ordo Charitatis debet cadere sub precepto. 4. Quia objecta diligenda, & optanda non sunt æqualia inter se: Ergo debet esse inter illa Ordo, ut Charitas sit recta. 5. Deus vult, ut aliquos, nempe qui nobis sunt conjunctiores, plus diligamus.

Duplex autem est Ordo in Charitate servandus, alter in personis, alter in bonis. In personis homo amare debet. 1. Deum utpote principium, ac finem ultimum rerum omnium, & summè bonum, ac perfectum. 2. Seipsum. 3. Cæteros homines. In bonis primum locum tenent bona spiritualia, seu supernaturalia nempe gloria, seu beatitudo æterna, gratia, & virtutes. 2um. Bona naturalia, & bona corporis, ut vita, integritas membrorum, sanitas, &c. 3um. Bona externa, ut honor, fama, divitiæ, &c. Item bonum commune majus est bono privato; quia bonum commune est bonum totius, &

bo.

bonum privatum est bonum partis : sicut autem totum est majus sua parte , ita bonum totius majus est bono partis , ideoque ei præferendum.

Q. 2. An, & quomodo quisque seipsum magis diligere debet, quam proximum?

Resp. I. Unusquisque tenetur seipsum magis diligere simpliciter, & absolute quam proximum. Ita S. Thom. q. 26. a. 4. & q. 44. a. 8. ad 2. Prob. 1. ex Matth. 22. *Diliges proximum sicut teipsum.* Ubi dilectio sui proponitur ut Regula, & exemplar amoris proximi. Regula autem prior, & potior est, quam Regulatum. 2. Quia ex Ordine Charitatis homo magis inclinatur ad sui dilectionem, quam proximi, estque sibi magis conjunctus. Unde illud Eccli. 14. *Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit?*

Hinc 1. Quisque tenetur se magis diligere in bonis spiritualibus, quam proximum, ita ut sibi potius velit & comparet Dei gratiam, amicitiam, virtutes, & beatitudinem æternam, quam cuilibet alteri, cum hæc bona sint omnium maxima, & maximè necessaria. Quod indicant hæc Christi verba Matth. 16. *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, &c.*

2. In quacunque corporali necessitate æquali

æquali licet sibi potius subvenire quàm alteri privato; nam nemo tenetur diligere proximum magis, quàm seipsum, sed solum sicut seipsum. Imò juxta multos tenetur seipsum magis diligere quoad vitam temporalem, & bona ejus conservationi necessaria quàm proximum parem, vel inferiorem: quia (ut ait S. August. lib. de Mendac. cap. 6.) *Si pro illius temporali vita suam ipsam temporalem perdat, non est jam diligere sicut seipsum, sed plusquam seipsum: quod sana Doctrina Regulam excedit.* Præterea per se loquendo Charitas magis inclinatur subjectum suum ad sui conservationem, quàm ad conservationem alterius privati. Ergo qui privati vitam suam præfert, agit contra inclinationem Charitatis, ideòque contra ordinem Charitatis: & consequenter peccat contra Charitatem. Alii tamen multi cum S. Thoma censent licere vitam propriam exponere pro servanda vita alterius privati, non quidem præcisè ob bonum vitæ proximi, quæ ut talis non debet præferri vitæ propriæ; sed ob speciale quoddam virtutis exercitium, quod in certis circumstantiis exsurgit ex alio titulo, v. g. si vitam exponas pro altero, cujus vita sit utilior ad promotionem gloriæ Dei, si pro parente, insigni Benefactore, &c. Ad insigne opus pietatis, gratitudinis, &c. Nam, inquit, actus virtutis Christianæ, qui

qui

qui tunc exercetur, majus bonum est vita temporali. Textum verò S. Augustini alatum explicant, si vita amittatur ob vitam proximi præcisè sumptam ut talem, non autem ob exercitium virtutis.

Dixi, *Privato*; nam subditus tenetur vitam propriam certo periculo exponere pro salute Reip. vel Principis sui, aut alterius personæ Reip. necessariæ. Nam membrum periculo exponi, imò & abscindi debet pro conservatione totius; & quælibet pars bonum totius suo privato præferre tenetur.

Resp. II. Unusquisque ex Charitate tenetur proximum magis diligere in spiritualibus, quàm se ipsum in corporalibus. Tum quia quilibet tenetur diligere proximum sicut se ipsum: at quilibet tenetur se ipsum magis diligere secundùm animam, quàm secundùm corpus, ergo similiter, &c. Tum quia anima proximi secundùm rectam rationem magis amabilis est, quàm corpus proprium; nam ipsa longè præstantiori, quàm corpus proprium, modo participat bonitatem divinam, quæ est objectum formale Charitatis; estque capax possessionis Dei, non corpus proprium, & in ipsa Deus magis glorificari potest, quàm in corpore proprio. Hinc.

Resp. III. Tenemur præferre salutem æternam proximi bonis omnibus nostris temporalibus, & vitam nostram certo peri-

periculo exponere pro salute proximi in necessitate extrema spirituali positi, hoc est, versantis in periculo damnationis æternæ, à quo se eripere non possit sine ope nostra, quando est spes illum juvandi. Est communis, & Constat 1. ex Joan. 15. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* At Christus nos ita dilexit, ut vitam corporalem pro animarum nostrarum salute amiserit. Item ex 1. Joan. 3. *Nos debemus pro fratribus animas ponere.* Quæ Lex obligat saltem in extrema necessitate spirituali, alioqui nunquam obligaret. 2. Ex S. August. lib. de Mendac. cap. 6. *Temporalem vitam suam pro æterna vita proximi non dubitabit Christianus amittere: hoc enim præcessit exemplum, ut pro nobis Dominus ipse moreretur.* Ad hoc enim, & ait. *hoc est, mandatum meum, ut diligatis invicem, sicut & ego dilexi vos.* 3. Quia tenemur amare proximum sicut nos ipsos. Ergo sicut in periculo salutis, quo non possemus liberari sine jactura vitæ, tenemur ex Charitate nostri vitam amittere potius, quam salutem æternam: ita, &c. Præterea salus æterna proximi est bonum longè excellentius, & amabilius vita nostra temporali, ideoque ei in necessitate anteponendum juxta debitum ordinem Charitatis.

Hinc teneris infantem moriturum Bap-
tizare etiam cum vitæ damno, si alius non
adsit, qui id faciat. Item si scias aliquem
existentem in peccato mortali interficien-
dum in somno, vel nil cogitantem, teneris
cum vitæ periculo ei subvenire, modo
prudenter judices te illi profuturum: ne-
mo enim tenetur ad opus prorsus inutile
cum proprio gravi damno.

Resp. IV. In gravi necessitate spirituali
communitatis teneris ei subvenire etiam
cum vitæ periculo. *Ita Suarez, De Lugo,*
Azor, & alii. Quia talis necessitas sem-
per conjuncta est cum necessitate extrema
aliquorum privatorum; nam multi in illa
necessitate probabiliter peribunt. Et quia
ipsa per se est gravissimum malum, cui me-
ritò succurri debet cum jactura vitæ ali-
cujus privati, imò gravis necessitas Spiri-
tualis communitatis non minoris æstiman-
da est, quàm extrema alicujus privati.

Hinc si quis hæresim alicubi spargat, te-
neris cum periculo vitæ impedire, si possis,
& nemo alius impediatur. Item si in perse-
cutione, vel hostili incursione plebs aliqua
careret Sacerdote, & aliunde esset exposi-
ta gravibus periculis peccandi, teneris
cum periculo vitæ illi opitulari. Quod
ad alios similes casus ob eandem rationem
extendi debet.

Q. 3.

Q. 3. *Quis ordo erga proximos inter se servandus est?*

Resp. I. Magis diligere debemus affectu complacentiæ sanctiores: quia sunt amiciores, & conjunctiores Deo, & secundum se amabiliore. Item velle illis majorem gloriam, quia habent majorem gratiam.

Resp. II. Quoad amorem affectivum, simul & effectivum, quo alteri benefacimus, consanguinei secundum varios gradus in pari necessitate præferendi sunt quoad bona temporalia, & spiritualia aliis licet melioribus: quia ad hoc inclinatur Charitas, propter naturalem conjunctionem, quæ, cum sit prior ordine naturæ, & præsupponatur omnibus aliis, sitque firmior, & immobilior, utpote in natura ipsa fundata, priorem locum postulat in dilectione quoad bona amicis appetibilia. Enim verò Ordo Charitatis non invertit ordinem naturæ, sed potius illum perficit. Post hos ceteri secundum varias conjunctiones affinitatis, amicitiae, societatis, præferendi sunt extraneis: nam ratio dicit magis diligendos esse conjunctos, quam extraneos, & conjunctiores, quam minus conjunctos; & Charitas ad hoc inclinatur. *Cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui constrictius tibi jungantur.*

E e 2

Ait.

Ait. S. August. lib. 1. de Doct. Christ. cap. 28. Patria tamen, seu Resp. Præferenda est parentibus: quia est totum, cujus sunt partes parentes, qui proinde tenentur vitam pro illius salute exponere; cum totum parti, & bonum totius bono partis præferendum sit.

Resp. III. Cæteris paribus ex consanguineis præferendi sunt propinquiore; nam si propter naturalem conjunctionem teneris magis diligere consanguineos cæteris paribus: tenemur etiam, cæteris paribus, propter naturalem conjunctionem majorem, magis diligere consanguineos propinquiore.

Item ex consanguineis æquè propinquis tenemur magis diligere digniores, seu aliquam in consanguinitate eminentiam habentes; nam hoc ipso, cæteris paribus, sunt magis diligibiles. Hinc.

Resp. IV. Inter ipsos consanguineos Pater, & Mater in necessitate extrema, ubi vita periclitantur, præferendi sunt filiis, & uxori, & aliis omnibus. Ita S. Thom. q. 26. a. 11. quia, præter communionem sanguinis habent eminentiam principii, sunt enim principium nostri esse, quod est ingens beneficium, & fundamentum ad recipienda ab alio beneficia. Extra necessitatem extremam, & ubi agitur de conservatione proprii statûs uxor, & filii non emancipati, juxta multos, præferri debent parentibus,
pro-

propter arctiorem in communi victu, & vitæ societate conjunctionem viri, & uxoris, indicatam Gen. 2. & Mat. 19. *Dimittet homo Patrem suum... & adhærebit uxori suæ,* &c. Et quia bonum familiarum & Reip. id postulat. Unde S. Thom. 2. 2. q. 26. a. 9. ad 1. ait: *Filiis magis debetur cura provisionis.* 2. Cæteris paribus Pater præferendus est matri: quia est principalior, ac nobilior causa nostri esse naturalis, cum sit præcipua causa generationis; estque familiæ caput, & ad eum magis spectat cura liberorum: unde major ei honor, & amor debetur. S. Thom. ibidem. 3. Uxor præferenda est filiis: quia est una caro cum Marito, & principium liberorum. 4. Fili sunt præferendi cæteris omnibus: quia sunt conjunctiores, cum à substantia parentum procedant: Fratres cognatis ob majorem sanguinis conjunctionem.

Hinc in naufragio, vel alio mortis periculo, filius tenetur Patrem præ aliis omnibus liberare, uxorem præ filiis, &c. Inter extraneos verò meliores præferendi sunt aliis; nam ob majorem sanctitatem sunt Deo similiores & conjunctiores; ideoque magis amabiles, justus peccatori, fidelis infideli ob majorem conjunctionem spiritualem. Item persona publica, vel bono communi valde utilis præferenda est privatæ: quia bonum commune, utpote bonum multorum, præferendum est bono privato,

Ec 3

quod

quod est unius vel paucorum. Item ceteris paribus Benefactor aliis præferendus est.

Dixi, *in pari necessitate*. Quia extraneus, in majore necessitate positus præferendus est propinquo longè minùs indigenti: nam cùm præceptum Charitatis non obliget ad benefaciendum aliis, nisi sint in aliqua necessitate, magis, & potiùs obligat, ubi major est necessitas. S. Th. q. 31. a. 3. quòd si possis omnibus subvenire, teneris. Hinc extraneus in necessitate gravi spirituali debet præferri consanguineo gravem necessitatem corporalem patienti: quia tum necessitas extranei est major ob indigentiam boni magis necessarii, & quia sicut tenemur magis diligere proximum in spiritualibus, quàm nos ipsos in corporalibus: ita & tenemur magis diligere extraneum in spiritualibus, &c. Porro obligatio servandi hunc ordinem est ex genere suo gravis, cùm nascatur ex præcepto Charitatis gravissimo, & ejus materia ac finis sit gravis.

CAPUT IV.

De Eleemosyna.

Q. 1. *Quid est Eleemosyna?*

Resp.

Resp. Est sublevatio alienæ miseriæ propter Deum. Sive est auxilium proximo indigenti datum ex compassione propter Deum. Estque opus misericordiæ imperatum à Charitate: Misericordia autem est virtus, quæ nos ex compassione inclinât ad subveniendum alienæ miseriæ, ex S. August. lib. 9. de Civit. cap. 5. Illi per excessum opponitur nimia cordis mollities, seu indulgentia, per defectum cordis durities, & crudelitas.

Eleemosynæ, seu opera misericordiæ, ac Charitatis magis vulgata, & ad quæ cætera reduci possunt, sunt quatuordecim. Septem corporalia, nempe visitare infirmos, & carcere detentos, potare sitientes, pascere esurientes, redimere captivos, vestire nudos, peregrinos hospitio suscipere, & sepelire mortuos. Et septem spiritualia, nempe præbere consilium, corrigere peccantem, docere ignorantem, consolari tristem, remittere offensam, ferre patienter injurias, & molestias, ac defectus proximi, pro omnibus orare, juxta hos versus.

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Consule, carpe, doce, solare, remitte, fer, ora.

Q. 2. An extat Præceptum Eleemosinæ, & quandonam obligat sub mortali?

Not. 1. Necessitas seu indigentia pro-

Ec 4

zini

ximi triplex est. 1. Extrema, ex qua imminet mors, vel mutilatio, nisi ei succurratur. 2. Gravis est, cum homo, nisi ei subveniatur, non potest vitare grave malum, ut captivitatem, gravem infamiam, amissionem status, vel dignitatis; jacturam notabilem bonorum, vel magnam miseriam, quæ reddat vitam graviter molestantam. 3. Communis, quæ parit aliquod incommodum in necessariis ad vitam, vel statum, ita tamen, ut non reddat vitam nimis miseram, vel molestantam, spectatis statu, & conditione patientis. In hac versantur plerique mendici triviales.

Not. 2. Bona triplicis sunt generis. Nam 1. Alia sunt necessaria naturæ, seu vitæ, illa videlicet, sine quibus conservari non potest vita nostra, & aliorum, quorum cura nobis incumbit. 2. Alia sunt necessaria statui, sine quibus non potest quis convenienter vivere secundum conditionem, & statum præsentem propriæ personæ, vel aliarum, quarum cura ei incumbit, & hæc iterum duplicia sunt: quædam enim sunt necessaria ad statum simpliciter, ea nimirum, sine quibus aliquis suo statu excideret: quædam duntaxat ad statum decen-
tiam modestiæ christianæ consentaneam. 3. Alia non sunt necessaria, sed superflua vel vitæ, vel statui, vel utrique.

Not. 3. Necessarium status complectitur bona, quæ requiruntur ad sustentanda
onera

onera familiæ, ad alendos famulos, ad filios educandos & in statu honesto juxta suam conditionem collocandos, filias dotandas, ad honestas donationes, moderata cum amicis convivia, hospitalitatem; item ad illum statum servandum in quolibet casu calamitoso probabiliter eventuro, ut sunt morbi, bellum, sterilitas, &c. Dico, *probabiliter*; nam non debet attendi ad omnes casus, qui possunt contingere in futurum: *hoc enim esset de crastino cogitare, quod Dominus prohibet, Matth. 6. sed debet judicari superfluum, & necessarium secundum ea, quæ probabiliter, & ut in pluribus occurrunt.* Ita S. Thom. q. 32. a. 5. ad 3. Quare multi habent superflua. *Multa superflua habemus, si non nisi necessaria teneamus: nam si inania quaramus, nihil sufficit. Fratres, quarite quod sufficit operi Dei, non quod sufficit cupiditati vestra.* ait. S. August. in Psal. 147. Hinc Innoc. XI. damnavit hanc propos. *Vix in secularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui: & ita vix aliquis tenetur ad Eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.*

Not. 4. De necessariis vitæ non est obligatio faciendi eleemosynam: quia suam suorumque vitam quisque potest, & ordinariè debet alienæ vitæ præferre, ut exigit ordo Charitatis. Excipe, nisi persona indigens sit necessaria bono communi, quod semper proprio anteponendum est.

Resp. I. Extat præceptum divinum naturale, ac positivum dandi eleemosynam, obligans sub mortali. Est communis, & constat 1. ex Mat. 25. *Discedite à me maledicti in ignem aeternum. Esurivi enim & non dedistis mihi manducare, &c.* Ubi damnantur, qui Eleemosynam omiserunt. Et 1. Joan. 3. *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo Charitas Dei manet in eo?*

2. Quia Lex divina Charitatis graviter obligat quemque ad proximum diligendum sicut seipsum, ideòque ad illi indigenti opitulandum: nam amare proximum est ei bonum velle, & facere, quantum possumus, quando ille nostra ope eget. *Ad dilectionem proximi pertinet, ut proximo non solum velimus bonum, sed etiam operemur, secundum illud 1. Joan. 3. Non diligamus verbo neque lingua, sed opere, & veritate. Ad hoc autem, quòd velimus, & operemur bonum alicujus, requiritur, quòd ejus necessitati subveniamus: quòd fit per Eleemosynarum largitionem: & ideo Eleemosynarum largitio est in præcepto.* S. Thom. 2. 2. q. 32. a. 5.

Hoc præceptum extenditur ad quaelibet opera misericordiae, & subsidia tum corporalia tum spiritualia, quibus proximus indiget, cum fundetur in Charitate, qua tenemur diligere proximum sicut nos ipsos, &

ei facere, quod nobis fieri rationabiliter vellemus. Et verò si tenemur subvenire proximo in necessitate corporali: multo magis etiam tenemur in necessitate spirituali: nam longè potior cura habenda est salutis animæ, quàm vitæ corporalis, quæ propter illam amittenda est, cum salus animæ consistat in consecutione perfectæ, ac æternæ felicitatis & in vitatione infelicitatis æternæ. Quare quidquid diceretur de cleemosyna corporali, idem cum proportionem applicari debet spirituali. Et verò Lex Charitatis in proximum obligat ad amandum hominem, qui cum constet corpore, & animâ, potest secundum utrumque ope nostra indigere; & sic obligat ad subveniendum proximo in ejus corporalibus, & spiritualibus necessitatibus. Ita S. August. lib. de Morib. Eccles. cap. 27. Triplex autem est necessitas spiritualis, scilicet extrema, cum proximus sine nostra ope non potest sibi necessaria ad salutem providere; gravis, cum potest sine nostra ope sibi talia providere, sed non sine magna difficultate, vel incurrit gravissimum periculum peccandi ob paupertatem, ignorantiam vincibilem, pravam consuetudinem, vel occasionem valde allicientem ad malum; & communis, cui potest ipse providere sine magna difficultate.

Resp. II. Quilibet in extrema necessitate proximi tenetur sub mortali ei subveni-

nire non solum de superfluis statui, sed etiam de necessariis ad statum decentiam. *Est communis, & certa*, inquit Platelius, quia Charitas ordinata exigit, ut vitam proximi plus diligamus, quam decentiam status nostri, & huic illam preferamus: ac proinde ut jacturam decentiae status patiamur pro vita proximi servanda. Imò tunc etiam adjuvandus est proximus ex bonis quodammodo ad integritatem status necessariis. *Ita Suarez, Valentia, Sanchez & alii multi.* Nam juxta ordinem Charitatis vita proximi preferenda est, cuidam integritati status proprii. Et verò amissio integritatis status non reddit hominem miserum, & nemo prudens ad hanc amissionem avertendam exponet se morali periculo mortis; imò, hanc amissionem quilibet facile patietur ad servandam suam vitam.

Hinc teneris sub mortali proximo intalli necessitate subvenire cum dispendio bonorum etiam gravi, inquit Toletus; & ob hanc causam detrahere de status tui splendore, ornatu, integritate, famulorum numero, & aliis sumptibus.

Resp. III. In gravi necessitate proximi quisque sub mortali tenetur ei subvenire de bonis, statui superfluis. *Est communis, & certa.* Prob. Quia i. hæc verba Christi: *Esurivi, & non dedistis mihi manducare, sitivi, &c.* important præceptum e-
lee.

leemolynæ in necessitate non extrema, sed frequenti, quam indicant fames, sitis, &c. Et Christus ibi insinuat multos damnatum iri ob eleemosynam egentibus denegatam; ideòque indicat præceptum subveniendi proximo in frequenti, & satis ordinaria necessitate. Idem significant hæc verba Luc. 3. *Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet escas similiter faciat.* 2. Ex SS. Patribus. Pro omnibus sint S. Ambros. lib. 1. Offic. cap. 3. *Gravis culpa, si sciente te fidelis egeat, si scias eum fame laborare, ærumnam perpeti, præsertim si mendicare erubescat, &c.* Et S. August. Tract. 5. in 1. Epist. Joan. *Esurit frater tuus, in necessitate positus est; à creditore angustatur: non habet ipse, habest tu... quid ad me pertinet, forte dicis? Ego daturus sum pecuniam meam, ne ille molestiam patiatur? Si hoc tibi responderit cor tuum, dilectio Patris non in te manet.* 3. Quia juxta omnes quisque tenetur ex Charitate proximum gravi malo liberare, cum potest sine suo gravi incommodo: nam quisque debet amare proximum sicut seipsum, & ei facere, quod sibi fieri rationabiliter vellet. Non est autem grave incommodum dare superflua.

4. Nolle succurrere amico in gravi, sed solum in extrema necessitate, est per se dissolutivum amicitiae. Ergo non subveni-

re

re gravi necessitati proximi est contra Charitatem proximi, & Dei, cui fit, & denegatur id, quod fit, vel denegatur pauperi juxta illud Mat. 25. *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis, quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.*

Imò, in gravi necessitate proximi quisque tenetur ei subvenire de bonis ad integram statûs decentiam aliquo modo necessariis. Ita Suarez, Valentia, & alii communius. Prob. tum ex 1. Joan. 3. *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo Charitas Dei manet in eo?* Non dicit substantiam omnino superfluum, sed absolute substantiam; nec dicit necessitatem extremam, sed necessitatem simpliciter. Tum quia quilibet tenetur amare proximum sicut seipsum *opere, & veritate*; ideoque illi facere, quod sibi rationabiliter vellet fieri in pari necessitate, ut jubet Christus Matth. 7. At quisque rationabiliter vellet malo valde gravi liberari cum aliquo incommodo alterius longè minori, qualis est diminutio aliqua decentiæ statûs, ut si quis de splendore convenienti, de ornatu vestium, de lautitia mensæ, de supellectili aliquid etiam notabile detrahat. Nam *talis decentia non consistit in aliquo indivisibili: quia multis additis homo*

non excedit statûs sui conditionem : multis etiam subtractis conditio sui statûs decenter conservatur. Statur in hoc prudentia arbitrio & discretionis, qua docet de omnibus. ait S. Thom. in 4. dist. 15. q. 2. a. 4. Et verò nolle pati aliquod incommodum, ad liberandum tam gravi malo proximum, non est illum amare sicut se ipsum.

Porro S. Thomas sub necessitate urgenti gravem etiam comprehendit.

Hoc à fortiori intelligi debet de necessitate gravi spirituali, videlicet, cum proximus non potest sine magna difficultate salutem consequi, vitare peccatum, & periculum peccandi, nisi ei subveniatur ex bonis illis; vel sustentatio suppeditetur Sacerdotibus, qui illos in spiritualibus adjuvent: nam tunc Charitas obligat, ut cum aliquo damno temporali subvenias.

Hinc peccant mortaliter divites, qui tempore charitatis annonæ nihil de statûs sui splendore, ornatu, & mensæ lautitia detrahunt, & sinunt pauperes inedia confici; vel qui in dubio de necessitate extrema, aut gravi proximi debitam diligentiam non adhibent ad veritatem indagandam: nam exponunt se periculo violandæ præceptum Charitatis, non subveniendo proximo in necessitate.

Resp IV. Est gravis obligatio faciendi elemosynam de superfluis vitæ, & statui, **etiam**

etiam in communi pauperum necessitate. Ita commun. Prob. Quia 1. Scriptura præceptum eleemosynæ non restringit ad extremam, & gravem necessitatem. Imò hæc Christi verba *Esurivi, sitivi* &c. Important communem etiam necessitatem, quam patiuntur communiter pauperes: esuries enim, & sitis communibus pauperibus convenit. Idem significant ista 1. Ad Tim. 6. *Divitibus hujus sæculi præcipe facile tribuere, communicare, &c.* Ideoque non expectare extremam, vel gravem necessitatem ad tribuendum. Pondera has voces *præcipe, & facile.* 2. Patres docent simpliciter superflua divitum esse pauperum, tanquam eis debita ex mandato Dei. S. Ambros. lib. de Nabuthe cap. 12. *Non de tuo largiris pauperi, sed de suo reddis. Quod enim commune est in omnium usum datum, tu solus usurpas? Omnium est terra, non divitum... debitum igitur reddis, non largiris indebitum.* Si Hieron. Epist. ad Hedib. *Si plus habes, quam tibi ad victum vestitumque necesse est, illud eroga, & in illo debitricem esse te noveris.* S. August. in Psal. 147. *Superflua divitum, necessaria sunt pauperum. Res aliena possidentur, cum superflua possidentur.* S. Gregor. lib. 3. Pastor. cap. 22. *Cum qualibet necessaria indigentibus ministramus, sua illis reddimus, non nostra largimur: justitiae debitum potius solvi-*
mus

mus, quàm misericordiae opus implemus. Idem docent SS. Basil. Chrylost. & S. Thom. 2. 2. q. 87. a. 1. ad 4. ibi. Dominus omnia superflua pauperibus jubet exhiberi, juxta illud Luc. 11. Quod superest, date eleemosynam. Quare etsi divites sint superfluum Domini respectivè ad alios homines, non tamen respectivè ad Deum, cujus sunt dispensatores, & qui illis hæc bona dedit, ut ea in pauperes impenderent. Nam juxta SS. Patres laudatos superflua impendi debent in pauperes non solum ex Charitate erga proximum, sed etiam ex justitia erga Deum, qui ea bona in hunc duntaxat finem dedit. 3. Unusquisque tenetur diligere proximum sicut seipsum, & illi facere, quod sibi rationabiliter vellet fieri, Mat. 7. at vellemus rationabiliter nobis succurri in necessitate communi ex bonis superfluis alterius. 4. Alioqui pauperes isti inciderent in necessitatem gravem, imò & extremam. Item grave detrimentum inferretur Reip. relinquendo ei totum onus alendi pauperes. Hinc peccat mortaliter, qui ex superfluis nullatenus, aut non sufficienter subvenit necessitatibus, etiam communibus pauperum. Nec excusantur divites, qui solum post mortem volunt relinquere bona pauperibus: quia ante mortem urget præceptum eleemosynæ, & interim proximus patitur miseriam.

Dices. Dives potest reservare superflua ad se evehendum in altiore statum, ad quem aptus est. *R.* Non potest, nisi satisfecerit debito Charitatis, & subvenierit occurrentibus pauperum necessitatibus.

Resp. V. Tanta eleemosyna danda est, quanta sufficit ad levandam proximi necessitatem; ut patet ex ratione, & sine præcepti eleemosynæ. Et quidem ab uno & eodem, si possit, & alii non possint, aut nolint dare.

Præterea observanda sunt Sequentia.

1. Eadem est obligatio præstandi gratis operam quamlibet, qua indiget pauper, v.g. suum opificium, laborem, auxilium, patrocinium &c. Quia eadem est ratio ac de pecunia, vel alimentis subministrandis. S. Thom. 2. 2. q. 71. a. 1.

2. Si alius adsit, qui succurrat, non obligaris: nam tunc pauper non indiget opera tua. At si alii, etsi ditiores te, non subveniant, tu teneris: nam tunc pauper indiget tuò subsidiò, perinde ac si tu unus posses opitulari. Nec requiritur evidentia omnimoda necessitatis proximi. Sed sufficit quòd eam possis prudenter judicare adesse, nec certò scias alium ei subventurum.

3. Prælati, Parochi, & Superiores tenentur ratione officii inquirere necessitates

tes corporales, & spirituales suorum subditorum: quia illorum curam ex Officio gerere debent, & erga illos parentum vicibus funguntur. *Cum præcepto divinò mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est . . . pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere.* ait Trident. sess. 23. cap. 1.

Q. 3. *An præcepto eleemosynæ satisfit per mutuum, venditionem, vel alium contractum onerosum?*

Resp. I. Si proximus sit tantum pauper secundum quid, hoc est, si hic, & nunc careat necessariis, sed habeat alibi bona, vel spem certam, ac proximam habendi ex fundo, agro, successione, vel ex industria propria, &c. Satisfit ei mutuando, non numeratâ pecuniâ vendendo &c. id, quo indiget. Quia talis non est absolutè, ac simpliciter pauper, & egens, cum indigeat solum pro definito aliquo loco, & tempore; nec indiget ipsa re ut gratis danda, sed solum mutatione rei. Ergo non teneor ei dare absolutè, & simpliciter. Sic Charitas sufficienter exercetur erga peregrinum hic versantem, dando ei unde necessitati subveniat, cum onere restituendi, cum erit in patria, ubi multa bona habet. Sic sufficit mutuari frumentum agricolæ nunc egenti, sed uberrimam messem expectanti.

Ff 2

Resp.

Resp. II. Si proximus sit absolutè pauper ita, ut nullibi bona habeat, nec spem proximam, ac certam habendi; tunc est obligatio ei dandi necessaria gratis, & absque onere restituendi. *Ita Azor, Valentia, Sanchez & alii multi.* Prob. 1. ex Luc. 14. *Cum facis convivium, voca pauperes: & beatus eris, quia non habent retribuere tibi.* & ex cap. 10, ubi Samaritanus in exemplum debitæ Charitatis adductus, gratis opitulatur. 2. Quia nomine eleemosynæ Scriptura, & Patres intelligunt liberalem, & absolutam donationem factam pauperi; & hanc significat verbum *Do* simpliciter, & absolutè prolatum. Enimverò vendere, locare, mutuare non est eleemosynam facere: alioquin cum pauperibus divites vendunt, dicerentur eis eleemosynam facere. 3. Patres supra citati docent bona superflua divitum deberi pauperibus. 4. Charitas exigit, ut proximo absolutè, & simpliciter egenti subveniamus modo consentaneo Charitati, quæ non quærit, quæ sua sunt; & ejus miseriam absolutam levemus absolutè, ac sine ullo onere.

Q. 4. Ex quibus bonis facienda est Eleemosyna?

Resp. Ex solis bonis propriis, quorum libera administratio habeatur, non ex alienis

nis sine consensu Domini. *Est communis*
 & *certa* Quia nemo potest donare id
 quod suum non est, vel cuius alienatio ei
 prohibita est; nisi careat propriis, & pro-
 ximus in necessitate extrema versetur, in
 qua omnia sunt communia quoad usum.

Hinc extra necessitatem extremam 1.
 Famuli, & ancillæ non possunt ex rebus do-
 minorum, nec filii ex parentum bonis elee-
 mosynas facere, sine eorum consensu ex-
 presso, vel tacito, aut prudenter præsum-
 pto: cum non sint Domini bonorum illo-
 rum. 2. Religiosus non beneficiatus, nec
 ullam habens administrationem, cui anne-
 xa sit potestas faciendi eleemosynam, nul-
 lam potest largiri sine licentia Superioris
 expressa, vel tacita, qualem censetur habere
 iter faciens, aut in studiis versans extra
 Monasterium ex pecuniis ei datis; vel (ut
 ait S. Thom) *probabiliter præsumpta*.
 Quod si habeat beneficium cum plena ad-
 ministratione, non indiget ad hoc licentia
 Prælati: quia potestas, imò & obligatio
 erogandi eleemosynas ex bonis sui beneficii
 est annexa suo muneri. 3. Uxor non po-
 test de bonis communibus, & fructibus do-
 talibus facere eleemosynas extraordinari-
 as, sine consensu mariti, ad quem pertinet
 illorum administratio. Potest tamen eo
 invito vulgares, & modicas spectata facul-
 tate facere, quales solent fœminæ ejusdem
 conditionis, & facultatis; saltem nisi vir
 ff; suffi-

sufficientes largiatur : quia id censetur pertinere ad debitam uxoris sustentationem, quam præstare vir tenetur, nec circa eas est rationabiliter invitus. Tutores verò, & Curatores possunt juxta multos facere modicas eleemosynas ex bonis, quæ administrant : quia pertinet ad rectam bonorum administrationem, ut aliquid ex eis erogetur in eleemosynam, & hoc cedit in bonum Pupilli, ac Minoris, qui consentire debent. Item Minor, & Pupillus possunt facere eas, quas alii ejusdem conditionis, & facultatis facere solent, saltem si Tutor, aut Curator nullas ex eorum bonis faciant: quia Tutor, vel Curator consentire debet; & in hoc differunt à Filiis familias, quòd habeant Dominium bonorum: non tamen majores facere possunt, cum non habeant liberam bonorum suorum administrationem.

CAPUT. V.

De Correctione Fraternali.

NOTA. Correctio, seu correptio fraternalis est admonitio, qua quis proximum ex Charitate conatur revocare à peccato. Hinc differt i. A correptione judiciali, quæ fit auctoritate publica, & ad castigationem delinquentis ob bonum commune potius ordinatur, quam

ad ejus emendationem, estque actus justitiæ vindicativæ. 2. A paterna, qua Superior cum auctoritate absque forma judicii corripit delinquentem, ad eum emendandum, & ad tollendum scandalum: nam hæc supponit specialem ad id auctoritatem in faciente, nec solum ad bonum delinquentis, sed etiam ad bonum commune ordinatur.

Q. 1. *An extat præceptum correctionis paternæ, & quos, ac quando obligat?*

Resp. I. Extat tale præceptum. Constat i. Eccli. 19. *Corripe proximum, ne forte iteret.* Ex 2. ad Theff. 3. *Corripe proximum, ne forte iteret.* Ex 2. ad Theff. 3. *Corripite ut fratrem* & Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum.* Quod de omni peccato intelligendum est: ibi enim species ponitur pro genere, nam ratio, cur Christus præcipit corrigere peccantem contra nos, est, quia vitam animæ peccando perdidit, ut docet S. August. & patet ex his verbis: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Imò multi Patres per tò *in te* intelligunt *coram te.* 2. ex c. 13. *de Judic. &c. Facientis dist. 86. & ex Patrum ac Doctorum consensu* 3. Quia Lex Charitatis obligat ad subveniendum miseriæ proximi, præsertim gravi. Maxima autem miseria est peccatum; & proxi-

mus est in necessitate spirituali saltem aliquali, ob quam indiget correctione, quatenus sine ea peccatum vitare, aut ab eo resurgere non potest, nisi difficulter, ob peccati nempe illecebras, & determinationem pravae suae voluntatis, vel ob ignorantiam, aut inadvertentiam vincibilem. Unde correctio fraterna est moraliter necessaria, quod sufficit, ut sit in praecepto, quando fructus ex ea speratur.

Resp. II. Hoc praeceptum obligat sub mortali ad corrigendum proximum, de quavis culpa mortali non emendata, quae est gravissimum malum: nam materia gravis est.

Juxta Cajet. Valent. Layman, & alios, obligat etiam per se loquendo ad eum corripiendum de veniali: nam Charitas exigit, ut quodvis proximi malum, quantumvis in suo genere exiguum, impediamus, vel tollamus, saltem cum facillimè, & sine ullo incommodo nostro possumus: sicut obligat, ut nullum malum quantumvis leve ei inferamus. Sed hæc obligatio est solum sub veniali, ob parvitatem materiae; nisi sit periculum morale, ne ex venialibus sequatur mortale, vel grave scandalum, vel magnum damnum spirituale Ordini religioso. Quare ex consensu Doctorum Superiores Religiosorum tenentur sub mortali impedire, & corrigere culpas veniales, per quas notabiliter læditur religiosae disciplinae

plinæ vigor: quia notabilis jactura disciplinæ, etiam per defectus leves, est grave malum religionis, quod Superior tenetur ex officio avertere, & tollere.

Dixi, *per se loquendo*; nam sæpe non est obligatio respectu venialis; eo quod sapius talis correptio potius obesset, quam prodesset, præsertim sæcularibus; nisi fiat erga aliquem perfectionis suæ studiosum, aut valde familiarem, aut ab eo, qui ratione officii peculiarem curam gerere debet proximi.

Resp. III. Hoc præceptum obligat omnes, & singulos, etiam æquales, inferiores, Laicos, peccatores, quando utiliter corripere possunt sine suo gravi damno. *Ita commun.* cum S. Th. 2. 2. q. 33. a. 4. Prob. 1. ex Mat. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum.* Quod dirigitur ad eum omnem, qui proximi peccatum novit. Et ex Eccli. 17. *Mandavit unicuique de proximo suo, adjuvando scilicet in omnibus necessitatibus tum corporalibus, tum maxime spiritualibus.* 2. Ex cap. Tam. 24. q. 3. *Tam Sacerdotes, quam reliqui fideles omnes summam curam habere debent de his, qui pereunt: quatenus eorum redargutione, aut corrigantur à peccatis, aut si incorrigibiles apparuerint, ab Ecclesia separentur.* Et ex cap. 12. de Hæret. ubi Innoc. III. ait: *Cum aliud sit fratrem peccantem occultè corripere, quod quisque tene-*

tur efficere secundum Regulam Evangelicam. 3. Quia hæc obligatio oritur ex Charitate, & misericordiâ, quæ sicut ad eleemolynam corporalem, sic etiam ad spiritualem obligat omnes, qui possunt illam facere. Unde etiam subditus tenetur corrigere Superiorem: nam præceptum correctionis fraternæ obligat ad subveniendum per correctionem omni proximo in miseria spirituali constituto; nec ad hoc requiritur jurisdictio, sed sufficit conjunctio Charitatis, quæ cæteris paribus debet esse major erga Superiores, qui etiam sæpe magis indigent, cum in majoribus obligationibus, & periculis versentur, ut notat Suarez. Debent tamen corrigi seorsim, & magis obsecrando, quam arguendo, juxta illud. 1. Ad Tim. 5. *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut Patrem.* Nisi ex ejus peccato periculum gravis scandali vel Fidei immineret: tunc enim publice corripendus esset Superior ad tollendum scandalum.

Porro Superiores, ut parentes, Domini, Pastores, Prælati ad corrigendos subditos magis obligantur tum ex Charitate; nam Charitatis Ordo id postulat, & sunt magis idonei: tum etiam ex justitia ratione officii; unde illud. 1. Ad Timot. 5. *Si quis suorum... curam non habet, est infideli deterior.* Hinc eorum obligatio ad plures actus se extendit: nam tenentur de eorum

rum peccatis inquirere, ut illa corrigant, & eorum bonum spirituale promovere, quantum possunt. Debent enim ipsi per- vigilare, quasi rationem pro animabus eorum reddituri, ex ad Heb. 13. Imò de- bent punire suos subditos, etiamsi nulla sit spes emendationis, ut scandalum tollatur, & alii deterreantur, & sic bono communi provideatur.

Resp. IV. Ut hoc præceptum obliget, *ex communi* sent. requiruntur sequentia.

1. Ut proximus prudenter judicetur peccasse, vel esse in proximo periculo pec- candi: alioqui temeraria esset correctio, vel monitio: at nullus actus temerarius præceptus est. Porro nemo inquirere te- netur, nisi Superior. Sed ut Superior te- neatur inquirere, sufficit suspicio, vel du- bia cognitio. *Ita communi.* quia cum te- neatur ex officio vigilare super gregem suum, etiam tenetur occurrere malis du- biis.

2. Ut sit periculum, ne relabatur, vel permaneat in peccato, & ut putetur non aliter facile emendandus: alioquin non es- set indigentia spiritulis, ideòque nec locus eleemosynæ spirituali. Præceptum autem subveniendi proximo non obligat, nisi in ejus necessitate, seu indigentia.

3. Ut sit probabilis spes emendationis, ex Prov. 9. *Noli arguere derisorem:* nam desperato fine nemo tenetur ad medium
in-

inutile; & correctio non est præcepta, nisi prout conducit ad emendationem proximi, quæ est ejus finis intrinsecus. Et verò tunc correctio esset imprudens: nemo autem obligari potest ad actum imprudentem. ita S. Thom. 2. 2. q. a. 6. ibi. *Duplex est correctio delinquentis. Una quidem pertinens ad Prelatos, quæ ordinatur ad bonum commune, & habet vim coactivam. Et talis correctio non est dimittenda, propter turbationem ejus, qui corripitur, tum quia si propria sponte emendari non velit, cogendus est per pœnas, ut peccare desistat; tum etiam quia, si incorrigibilis sit, per hoc providetur bono communi, dum servatur ordo justitiæ, & unius exemplo alii deterrentur...* Alia est correctio Fraternalis, cujus finis est emendatio delinquentis, non habens coactionem, sed simplicem admonitionem: & ideo, ubi probabiliter æstimatur, quòd peccator admonitionem non recipiat, sed ad pejora labatur, est ab hujusmodi correctione desistendum: quia ea, quæ sunt ad finem, debent regulari secundum quod exigit ratio finis.

Excipe, nisi redargutio necessaria, vel utilis sit ad honori Dei, vel famæ proximi consulendum, aut scandalum aliorum impediendum, ut, cum quis blasphemias, vel errores profert, aut detrahit proximo. Tum enim fieri debet correctio, etiamsi
nulla

nulla sit spes emendationis delinquentis, ne tacendo videaris approbare malum: & quia teneris injuriam Dei, & grave malum proximi impedire, cum potes. At tunc non erit strictè correctio Fraternalis peccantis, sed alius actus Charitatis Deo, vel alteri proximo debitus.

Porro non est omittenda correctio propter aliquam tristitiam delinquentis, vel etiam iram cum aliqua levi culpa, si tandem speretur emendatio: quia hæc per accidens sequuntur, & ad impediendum majus malum permitti possunt. Item correctio fieri debet, si decursu temporis, licet non statim, fructus speretur.

4. Ut non adsit alter magis idoneus, vel dignitate, aut ætate Superior, qui commodius possit & velit corrigere: nam tunc peccans non indiget tua correctione: quòd si ille tertius aptior nolit, teneris perinde, ac si tu unus esses, qui posses corrigere: nam tunc tua correctione peccans indiget.

5. Ut opportuno tempore fiat, quando scilicet fructus probabiliter sperari potest: nam aliàs non prodesset, sed potius obesset. Præterea (ait S. Thom. q. 33. a. 2.) *Actus virtutum non quolibet modo fieri debent, sed observatis debitis circumstantiis, quæ requiruntur ad hoc, quòd sit actus virtuosus, ut scilicet fiat, ubi debet, & quando debet, & secundum quod debet.*

Quæ

Quare non semper facienda est statim, atque peccatum cognitum est.

Sed quid si dubitetur, sitne profutura correctio?

Resp. Si de fructu dubites, & simul certò scias obfuturam non esse, teneris corrigere: quia sicut in morbo corporali, ita & in spiritali remedium, quod non est obfuturum, adhiberi debet in dubio, an sit profuturum, si nullum certius adsit. Et quia adest materia correctionis, & fieri potest, ut obtineatur ejus finis. Si verò dubites non modò, sitne profutura correctio, sed etiam num sit nocitura, eam omittere debes: quia cum correctio ad emendationem ordinetur, fieri non debet, cum æquè imminet peccatum proximi, ac ejus emendatio. Excipe, nisi aliqui moriturus esset in mortali: nam tunc, etiam in dubio de peccato mortali, ipse admonendus esset, ne proximus damnetur in æternum.

Q. 2. An corripendus est, qui peccat ex ignorantia?

Resp. Corrigendus est, & docendus. 1. Si ignorantia sit culpabilis: quia est ingravi miseria spiritali, cum hæc ignorantia sit peccatum, nec excuset à peccato. 2. Si malè agat ex ignorantia invincibili juris naturalis, vel etiam positivi humani, quando

do fructus speratur: quia talis ignorantia est magnum quoddam proximi malum, ac miseria, & varia incommoda afferre potest, ut scandalum, habitum pravum, &c. Imò & periculum postea peccandi formaliter; nam sæpe contingit, ignorantiam fieri vincibilem ex invincibili, ideòque non amplius excusare à culpa. Præterea id exigit studium ac reverentia legis, cujus violatio facilè impediri potest. Et multò magis, si ex illa ignorantia oriatur scandalum, vel irreverentia Dei aut Religionis, aut damnum tertii, ut si quis rem alienam bona fide retineret. 3. Si sit invincibilis ignorantia medii necessarij ad salutem; quia talis ignorantia conjuncta est cum evidenti periculo damnationis.

Q. 3. *Quis ordo Correctionis Fraternelæ servandus est?*

Resp. Per se loquendo servari debet, juxta omnes, ordo à Christo præscriptus, scilicet ut proximus corrigatur primùm secretò, deinde coram uno, aut duobus aliis, si Secreta monitio non profuerit: tum verò res ad Prælatum Ecclesiæ, seu Superiorem deferatur. Matth. 18. *Corripe eum inter te & ipsum solum... si te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos... quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ.* Quia hic ordo est præcepti tum positivum; nam

nam hæc verba *adhibe, dic*, tam præceptum sonant, quàm illud, *corripe*. & Christus eodem tenore verborum substantiam præcepti, & ordinem in ejus executione servandum statuit: tum etiam naturalis, nam Lex naturalis præcipit, ut proximum corrigamus sine detrimento illius famæ, si fieri possit, vel certè cum minimo, quod sufficiat ad correctionem, si sine aliquo fieri nequeat correctio. Neque enim licet proximi famam lædere sine necessitate. Igitur si sufficit secreta monitio, non licet adhibere testes: si unus testis sufficit, non licet adhibere plures, si testes non sufficiunt, deferendum est peccatum ad Superiorem, qui pro suâ auctoritate compescere poterit peccatum, quod neque tu, neque testes coercere potuistis.

Dixi, *per se loquendo*. Nam cum præceptum hoc sit affirmativum, non obligat pro omni tempore, sed quando Charitas, & recta ratio dicat. Unde hi casus ab omnibus excipiuntur, in quibus peccatum proximi statim deferendum est Superiori.

1. Quando peccatum proximi est ita publicum, ut non censeatur infamari per denuntiationem factam immediatè Superiori: nam tunc cessat ratio servandi famam; & tunc non solum emendatio fratris, sed etiam reparatio scandali per punitionem procuranda est. Ita S. Thom. in 4. dist. 19. q. 1. a. 3. ad 2. addens; *Si au-*

tem nondum in publicum devenit, sed est in via deveniendi, tunc etiam denuntiandum est, ut scandalo futuro occurratur.

2. Quando peccatum, etsi occultum, cedit in damnum communitatis, ut proditio, hæresis, quæ ut cancer serpit, falsificatio monetæ, veneficium, &c. Et non constat impeditum iri per secretam monitionem: nam bonum commune præferendum est privato, & illi sufficienter providendum, etiam cum infamia nocentis. Item si peccatum cedat in grave damnum tertii privati, ut si quis furtum grave, vel necem alterius machinetur, ad turpia sollicitet, &c. Nisi constet hoc malum impeditum iri per secretam monitionem, ex cap. 4. *de Furt.* quia, secundum ordinem Charitatis, præferri debet innocens nocenti voluntariè lædenti.

3. Quando prudenter judicatur non pro futura tua monitio, nec aliorum inferiorum: nam tunc duo priores actus essent inutiles, & proximus tunc eget correptione Superioris ut Patris, cui tunc revelatur ut singulari personæ, quæ magis potest prodesse, quàm alii. S. Thom. q. 33. a. 8. & Charitas exigit, ut bonum spirituale præferatur famæ.

4. Si alter satisfactionem tibi debitam deneget, tunc potes illam petere à Superiore: quia jure tuo uteris.

5. Quando proximus cessit jus, quod

Tom. I.

Gg

habet

habet. ne defectus, & peccata denuntientur Superiori, non præmissa monitione secreta, ut fit in nostra Societate; nam quisque potest juri, ac favori suo renunciare, cap. 6. *de Privileg.* nisi id vergat in aliorum damnum. Ordo autem correptionis fraternæ in peccantis favorem constitutus est, & fundatur in jure famæ, cujus quisque dominus est. Porro non licet delictum grave subditi perfectè emendatum sine relapsûs periculo deferre Superiori; quia sine causa subditus apud Superiorem infamaretur.

Ex dictis sequitur eum peccare mortaliter 1. Qui ex timore, ne proximus offendantur, & ne inde aliquod leve damnum patiantur, omittit in re gravi correctionem, quam putat profuturam. 2. Qui sine justa causa non servat Ordinem à Christo præscriptum. 3. Qui corripit, vel denunciatur non ex Charitate, ut proximus emendetur, sed ex odio gravi, ut confundatur, ac deprimatur.

CAPUT VI.

De peccatis Charitati specialiter oppositis.

NOTA. Licet omnia peccata Charitati generaliter adversentur, & ideo quodvis mortale ejus habitum destruat.

struat: sunt tamen, quæ illi specialiter opponuntur, & directè pugnant contra ejus actus. Qualia sunt odium, acedia, invidia, discordia, contentio, schisma, rixa, seditio, bellum, scandalum: quæ sunt mortalia ex genere suo, cum directè, ac specialiter opponantur Charitati, & excludant à Regno Dei. ad Gal. 5.

§. I.

*De Odio Dei, & proximi.*Q. 1. *Quid est odium?*

R. I. *Q*odium est aversio objecti. Duplex est, unum inimicitia, quo alicui personæ ex ejus displicentia volumus malum, quatenus ejus malum est; alterum abominationis, quo rem, vel personam averfamur ut malam præcisè, vel ut malam nobis, aut aliis.

Q. 2. *Quale peccatum est odium Dei?*

Resp. Omne odium inimicitia erga Deum est peccatum omnium gravissimum: quia per se immediatè, directè, & formaliter avertit à Deo, & opponitur directè actui Charitatis Dei, qui est actus omnium præstantissimus, & ejus habitui. Nam ex Aristot. illud est pessimum, quod optimo est contrarium. Item omne odium abo-

Gg 2

mina-

minationis erga Deum est intrinsecè malum, & mortale: quia est graviter injuriosum Deo, quasi in eum cadere possit aliqua malitia, vel defectus, seu ratio, ob quam aversione dignus sit, cùm tamen Deus sit essentialiter in omni ratione infinitè bonus, & perfectus.

Hinc gravissimum scelus est optare, ut Deus non sit, ut careat aliqua perfectione, v. g. scientiâ, justitiâ, omnipotentiâ, &c. aut de illâ dolere. Item gaudere de offensa Dei ut tali, &c.

Q. 3. Quale peccatum est Odium proximi?

Resp. Odium inimicitiae erga proximum est peccatum mortale ex genere suo; nam directè opponitur Charitati proximi, & graviter prohibetur præcepto diligendi proximum, ex 1. Joan. 3. *Qui non diligit, manet in morte. Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est: & scitis quoniam omnis homicida non habet vitam aeternam in semetipso manentem.* Potest tamen esse veniale ex levitate materiae, ut si ex levi displicentia personae leve malum optetur. Aliud est de odio Dei, quod semper est mortale, nec admittit levitatem materiae, cùm vel levissimum malum Deo optare sit Deo graviter injuriosum; quasi in eo reperitur aliqua ratio aversionis.

Odi-

Odium verò abominationis erga proximum, si sine justa causa, & inordinatè concipiatur, est culpa gravis, vel levis pro gravitate, vel levitate materiæ. Interdum tamen culpâ vacat, & est laudabile, dum scilicet non adversatur Charitati, sed procedit ex amore benevolentix erga Deum, vel ipsum, quem sic averfamur, aut alterum proximum, servato ordine debito Charitatis: ut cum quis averfatur peccatorem, non quâ homo est, sed quâ peccator est, seu quòd peccator sit, in eo averfando ejus peccatum, ut ejus malum est, juxta illud Prov. 29. *Abominantur justi virum impium.* Nam sic odisse nil aliud est, quàm odisse peccatum in ipso; & tale odium conjunctum est cum Charitate, qua eidem volumus salutem, & ejus media, ac alia bona, quibus indiget.

Q. 4. *An semper est peccatum, optare malum, proximo, vel de eo gaudere?*

Resp. I. Nunquam licet optare, & impre-
cari malum proximo, quatenus ejus ma-
lum est, vel gaudere de ejus malo ut tali,
vel dolere de ejus bono, ut ejus bonum est.
Ita omnes. Quia hæc sunt actus odii, ini-
micitix, & repugnant Charitati; ideòque
sunt mortalia ex genere suo, nec possunt
esse venialia, nisi ob defectum sufficientis

Gg 3

ad.

advertentiæ, vel ob levitatem mali optati.

Item non licet optare etiam inefficaciter malum proximi, licet non ut malum illius, aut gaudere de eo, etsi inculpate adveniendi, vel dolere de ejus bono; quamvis non ex displicentia personæ, sed præcisè propter bonum minus nostrum, vel alterius proximi: quia hi actus repugnant debito ordini charitatis, ex qua tenemur bonum proximi majus, & altioris ordinis præferre nostro minori, & inferioris ordinis. Idque constat ex his propositionibus ab Innoc. XI. damnatis. 13a. *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, vel de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare: non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.* 14a. *Licitum est absolutò desiderio cupere mortem Patri, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hereditas.* 15a. *Licitum est filio gaudere de parricidio à se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hereditate consecutas.*

Resp. II. Ex S. Thom. in 3. dist. 30. a. 1. ad 4. *Quia Charitas ordinem habet, & plus debet diligere quisque se, quàm alium, & propinquos, quàm extraneos, & amicos, quàm inimicos, & bonum commune*

muls

multorum, quàm bonum privatum unius; potest aliquis salva Charitate optare malum temporale alicui, & gaudere si contingit, non in quantum est malum illius, sed in quantum est impedimentum malorum alterius, quem plus tenetur diligere, vel communitatis, aut Ecclesie. Similiter de malo temporali ejus, secundum quod per malum pœnæ impeditur frequenter malum culpæ ejus.

Igitur 1. Licet desiderare affectu inefficaci aliquod malum temporale alteri, v. g. morbum, & de illo gaudere præcisè propter ejus bonum spirituale, v. g. ut peccare desinat, & respiscat: quia secundum ordinem Charitatis bonum spirituale præferatur temporali.

2. Licet sic optare mortem justè obventuram hæresiarchæ, vel malefactori Reip. noxio, & de ea gaudere, non quatenus ipsius malum est, sed quatenus per illam mortem majora mala impediuntur, & ob multorum bonum, quod præferendum est bono unius privati.

3. Licet optas victoriam de hostibus in bello justo, vel Turcarum excidium, ob ingens bonum justum tuæ communitatis, vel Ecclesie, quia bonum Ecclesie, vel communitatis tuæ præferre debes bono alterius communitatis.

4. Licet optare malefactori pœnam meritam per judicem infligendam, vel ut ipse,

aut alii coerceantur ab injuria inferenda tibi, aut aliis; nam hoc est consentaneum Charitati: vel quia expedit Reip. & bono communi, nam est actus pietatis erga Remp. vel ut jus læsum resarciatur, nam est actus justitiæ. At, ut dixi, nunquam licet optare aliis, vel sibi majus malum ad vitandum minus: quia hoc est contra debitum ordinem Charitatis. Hinc peccant mortaliter, qui sibi mortem deliberatè optant ex impatientia, ad vitandas aliquas leves molestias.

Q. 5. Quid dicendum de Maledictione?

Resp. I. Ex dictis constat esse mortale proferre Maledictionem gravem ex animo, ut malum grave eveniat, v. g. Diabolus te rapiat. utinam mortuus sis, &c. Imò sibi, vel aliis malum grave ex ira imprecari, quamvis sine animo, ut eveniat, sæpe mortale est, sive ratione contumeliæ gravis, spectata personæ qualitate: sive ratione scandali. sic parentes graviter peccant liberis suis præsentibus grave malum ore tenus ex ira imprecando; nam suo exemplo eos docent sibi invicem, vel aliis malum grave imprecari, & iræ servire: nec à mortali excusatur, qui durante passione grave malum evenire deliberatè voluit, etsi statim postea noluisse; imò doluisse, si evenit.

nisset: quia revera passioni iræ deliberatè consentit in re gravi. Item mortale est se ipsum ex ira deliberatè dæmoni devovere ob fœditatem, ac perversitatem rei. *Contingit tamen verbum maledictionis prolatum esse peccatum veniale, vel propter parvitatem mali, quod quis alteri maledicendo imprecatur; ve etiam propter affectum ejus, qui profert maledictionis verba, dum ex levi motu, vel ex ludo, aut ex subreptione aliqua tali verba profert: quia peccata verborum maximè ex affectu suspensantur.* S. Thom. 2. 2. q. 76. a. 3. Hinc confitens maledictionem interrogari debet an ex animo malum grave sibi, vel alteri imprecatus fuerit, an cum scandalo, vel contumeliâ; & quale malum in specie optaverit; nam maledictiones sunt diversæ speciei, pro diversitate malorum optatorum; actus enim voluntatis mali sumunt speciem etiam ex objecto materiali.

Resp. II. Maledictio gravis effusa in non subditum præsentem non solum Charitati, sed etiam justitiæ repugnat; nam est etiam gravis, & injusta læsio honoris proximi, seu contumelia, ideòque obligat ad satisfactionem.

Not. Maledicere creaturis irrationalibus, quatenus sunt utiles homini, est æquivalenter maledicere homini. Maledicere illis in quantum sunt Creaturæ Dei, est blasphemia. Maledicere verò eis, secun-

dùm se consideratis *est otiosum, & per consequens illicitum.* ita S. Thom. q. 76. a. 2. Hoc tamen ultimum censetur solum veniale per se, ut si rusticus equis suis mortem, vel diabolum optet.

§. II.

De Discordia, contentione, Schismate, rixa, & seditione.

I. **D**iscordia est dissensio voluntatis à voluntate alterius, in iis, quæ quiste-
netur velle ex Charitate Dei, vel proximi, Opponitur concordia, quæ consistit in voluntatum consensione. Estque peccatum mortale ex genere suo, ex cap. ad Gal. 5. ubi *dissensiones* numerantur inter opera carnis, de quibus ibi dicitur: *qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Tum quia Prov. 6. *Deus detestatur eum, qui seminat inter fratres discordias.* Tum quia specialiter opponitur Charitati, cuius est voluntates unire. Sed ad hoc requiritur, ut scienter quis dissentiat à bono Dei, vel proximi, in quo debet consentire, ut docet S. Thom. q. 37. a. 1. addens non esse peccatum discordia, cum unus æstimat hoc esse bonum, & pertinere ad honorem Dei, vel utilitatem proximi; alius autem habet contrariam opinionem: nisi huiusmodi discordia sit cum errore
circa

circa ea; quæ sunt de fide, aut necessitate salutis, vel pertinaciâ indebitè adhibeantur.

2. Contentio est altercatio verborum, quibus inordinatè quis alteri contradicit. Est peccatum mortale ex genere suo, sicut alia quæ sunt contra Charitatem. Unde ad Gal. 5. *Contentiones.* numerantur, inter opera carnis excludentia à regno Dei. Contentio autem semper est mortalis. 1. Si impugnetur veritas ad fidem, bonos mores, pietatem, justitiam, vel grave bonum proximi spectans: si tamen veritas non impugnetur seriò, sed solùm exercitiî causâ, ad illustrandam, explicandamque veritatem, vel ad explorandam doctrinam alterius, secluso scandalo, & modo inordinato, non est peccatum. 2. Si contentio fiat cum periculo scandali, vel cum gravibus maledictis, convitiis, contumeliis. Est autem solùm venialis, seclusis convitiis, ac scandalo, si materia sit levis, vel inordinatio sit solùm in modo, v. g. si solùm fiat cum nimia acrimonia, clamoribus, aut ex solo studio vincendi adversarium.

3. Schisma est voluntaria separatio Baptizati ab unitate Ecclesiæ: sive est subtrahitio ab obedientia Ecclesiæ, vel summi Pontificis ejus Capitis in spiritualibus, vel etiam separatio voluntaria à solis membris Ecclesiæ. De hoc sic ait S. Thom. q.

39. a. 1. *Est speciale peccatum ex eo, quòd intendit se ab unitate separare, quam Charitas facit; que non solum alterum alteri unit spirituali dilectionis vinculo; sed etiam totam Ecclesiam in unitate spiritus. Et ideo propriè Schismatici dicuntur, qui proprià sponte, & intentione se ab unitate Ecclesia separant Ecclesia autem unitas in duobus attenditur, scilicet in connexionione membrorum Ecclesia ad invicem, seu communicatione, & iterum in ordine omnium membrorum Ecclesia ad unum caput, scilicet Christum, cuius vicem in Ecclesia gerit summus Pontifex. Et ideo Schismatici dicuntur, qui subesse renuunt summo Pontifici, & qui membris Ecclesia ei subiectis communicare recusant.*

Schisma aliud est purum, quod Charitati solum, & paci, ac obedientiæ opponitur, quale est in iis, qui cum credant unam esse Sanctam Ecclesiam sub visibili Capite Romano Pontifice constitutam, & quidquid Ecclesia Romana credit; tamen ex malitia voluntatis seu superbia, nolunt cum quadam rebellionè Papæ subesse, ac obedire, vel reliquis Ecclesiæ membris uniri esse. Et aliud cum hæresi conjunctum, ut cum quis se separat ab obedientia Papa: quia non credit ejus potestatem. Ait Tolet.

Porro

Porro omnes Hæretici sunt etiam Schismatici, cum ab unitate Ecclesiæ se separent, contrariam Doctrinam sectando. Schismaticum esse, qui non à Papa, nec ab universis Ecclesiæ membris, sed solum à suo Episcopo Papæ unito, & verè subjecto se separat, vel etiam à solis fidelibus membris illius Diocesis, docent Bellarmin. Valentia & alii, ex S. Cypriano in cap. *scire*. q. 9. 1. Quia hic etiam implicite & indirectè se separat à summo Pontifice, ac reliquis Ecclesiæ membris, quatenus Episcopus, ejusque subditi habent subordinationem, & connectionem cum Papa, & aliis Ecclesiæ membris, ut quædam pars cum suo capite, ac reliquis ejusdem corporis partibus.

Est autem Schisma gravissimum scelus, ut constat ex Patribus, cum lædat præclarissimum quoddam bonum commune, nempe ipsam Ecclesiæ unitatem.

4. Rixa est pugna manuum, & verborum inter privatos, cum scilicet aliqui ex ira invicem se percutiunt auctoritate privata. In aggressore est peccatum mortale ex genere suo, cum sit contra Charitatem, & justitiam, & ad Gal. 5. *Rixa*. numerentur inter opera carnis excludentia à regno Dei. *In eo autem, qui se defendit potest esse sine peccato, & quandoque cum peccato veniali, & quandoque cum mortali, secundum diversum motum animi ejus, & diversum modum se defendendi. Nam si solo animo*
re-

repellendi injuriam illatam, & cum debita moderati ne se defendat, non est peccatum, nec propriè potest dici rixa ex parte ejus. Si verò cum animo vindictæ, vel odii, vel cum excessu debita moderationis se defendat, semper est peccatum. Sed veniale quidem quando aliquis levis motus odii, vel vindictæ se immiscet, vel cum multàm non excedit moderatam defensionem. Mortale autem, quando obfirmato animo in impugnantem insurgit ad eum occidendum, vel eum graviter ladendum. S. Thom. 2. 2. q. 41. a. 1.

§. Seditio est bellum aggressivum unius partis Reip. adversus aliam, vel adversus Principem suum. Est semper mortalis, nam semper graviter adversatur unitati, paci, ac bono communi, & etiam justitiæ, cum auctoritas bellandi resideat in solo Principe, vel Rep. liberâ.

§. III.

De Bello.

Q. 1. **A**N Bellum etiam etiam offensivum potest esse licitum?

Resp. Aff. Quia 1. Luc. 3. S. Joan. Bapt. rogatus à militibus quid sibi ad salutem esset agendum, non jussit ut militiam desererent, sed ne quemquam concuterent. 2. Deus

Deus Deut. 23. Leges Belli gerendi dedit. 3. Principi summo, & Reip. liberæ licet jus suum tueri, ac repetere. Cùm autem careant Superiore, à quo jus suum obtinere possint, debuit iis jure naturæ competere potestas ad jus sibi dicendum, & cogendam partem adversam ad sibi satisfaciendum: alioqui non posset communitas perfecta in pace conservari. De defensivo per se patet, cùm jure naturæ unicuique liceat injustam vim vi repellere cum debita moderatione.

Q. 2. Quanam requiruntur, ut Bellum sit licitum?

Resp. Ex S. August. lib. 22. contra Faustum cap. 74. & 75. ex S. Thoma 2. 2. q. 40. & communi Doctorum sententia, hæc tria.

1. Potestas suprema, quæ residet vel in Rep. libera, vel in Principe supremo, cui cura Reip. commissa est: nam qui habent Superiorem, possunt ejus auctoritatem implorare ad injuriæ compensationem: & sic bellum non potest esse iis licitum.

2. Causa justa, quæ est duntaxat gravissima injuria Principi, vel subditis illata, quam tollere, vel pro ea satisfacere, pars adversa recuset. Ex S. August. in c. Dominus 23. q. 2. ibi. *Bella justa definiuntur, quæ ulciscuntur injurias, si quis gens, vel*
ci-

civitas, que bello petenda est, vel vindicare neglexerit, quod à suis improbè factum est, vel reddere, quod per injuriam ablatum est. Nam Charitas, & justitia exigunt, ut sine gravissima, & necessaria causa non inferantur aliis gravissima damna, qualia fiunt in bello. Quòd si majora incommoda, quàm commoda, præsertim respectivè ad honorem Dei, & bonum Religionis Catholicæ secutura prævideantur, à bello abstinendum est: quia secundùm debitum ordinem rerum, & charitatis honor Dei, bonum Ecclesiæ, salus æterna proximi præferri debent bono temporali Statûs politici.

3. Recta intentio, ut non geratur bellum ex odio, avaritiâ, inordinata cupiditate amplificandi imperii, sed ad publicam quietem, ac justitiam servandam, vel ad optulandum injustè oppressis.

Porro licet etiam aliis tanquam sociis auxilium præbere Principi habenti justam causam bellandi, & huic uti aliorum auxilio. quamvis sint diversæ Religionis, modò absit scandalum, & periculum Fidei, ac sacrilegiorum, sicut Judas Machabæus Fœdus cum Romanis iniit. 1. Mach. 8. Nam, per se loquendo, licet alium in re justa juvare. At non licet in bello etiam justo advocare Infideles, & Hæreticos in auxilium, vel iis opem ferre, quando adest periculum scandali, sacrilegiorum, incrementi

hæ.

hæreseos, & detrimenti veræ Religionis: quia salus æterna proximi, & præsertim multorum, præferenda est cuilibet bono temporali; & Principes tenentur supra omnia Christo servire, ejusque regnum, quod est Ecclesia Catholica, quam sanguine suo acquisivit, quantum possunt, integrum conservare, imò & amplificare. *Major vobis Fidei causa debet esse, quàm regni, ampliusque pro pace Ecclesiarum clementia vestra debet esse sollicita, quàm pro omnium securitate terrarum. Subsequentur enim omnia prospera, si primitus, qua sunt Deo chariora, serventur... pro vestri enim imperii salute geritur, quidquid pro quiete Ecclesia vel sancta Religionis observantia laboratur.* Ait S. Cœlestinus 1. Epist. ad Theodos. Imper. in Actis Conc. Ephes.

Porro licet non possit dari bellum utrimque justum ex natura rei, cum circa idem non possint esse jura contraria: fieri tamen potest, ut neutra pars peccet bellando, ob ignorantiam invincibilem.

Q. 3. *Quænam ante bellum, & in ipso bello fieri debent, ac licent?*

Resp. I. Ante bellum tenetur Princeps rem diligenter examinare cum viris probis, ac peritis, & habere certitudinem saltem moralem de justitia causæ; nam cum ex bello gravissima sequantur mala, ac in-

Tom. I.

Hh

Gom.

commoda, etiam innocentibus, Charitas, & iustitia exigunt, ut non inferatur, nisi planè constet de causa iusta, & sufficienti. Quòd si iustitia sit dubia, & alter sit in possessione, certa iniustitia est bellare: quia in dubio melior est conditio possidentis. Deinde tenetur parti adversæ iustitiam causæ, & suas præventiones proponere, ut illa possit satisfacere injuriæ illatæ, vel restituere ablata sine alio damno: nam bellum sine necessitate geri licitè nequit, propter ingentia mala, quæ cum eo conjuncta esse solent. Ex S. August. in cap. *Noli*. 23. q. 1. *Pacem habere debet voluntas, bellum necessitas*. Hinc æqua satisfactio oblata acceptari debet: aliàs bellum sine iusta causa, & necessitate fieret.

Resp. II. In bello iusto licita sunt ea omnia, & sola, quæ juxta consuetudinem Christianorum necessaria sunt ad assequendum finem belli, scilicet vel ad recuperanda injustè ablata, vel injuriam justè vindicandam, & ad securitatem Reip. stabilendam. Nam cum finis licitus sit, licita sunt etiam media per se ad illum necessaria, non autem alia, quæ proximo nocent, cum nemini sine iusta causa damnum inferre liceat.

Hinc 1. licet occidere hostes pugnantes & resistentes, non tamen innocentes, qui non pugnant, ut sunt Clerici, senes, mulieres, pueri, rustici, opifices, &c. quamvis sint partes Reip. hostilis: quia nunquam
licet

licet directè occidere innocentes. Neque enim Resp. potest puniri in suis membris, nisi secundùm id, quod ejus dominio subest, qualis non est vita civium. Indirectè tamen, & per accidens possunt interfici, ut cum urbs expugnari, vel nocentes seu milites vinci nequeunt, nisi cum periculo, & occisione innocentum: quia bonum publicum, quod ex victoria speratur, est majus bonum quàm vita aliquorum, quorum mors præter intentionem sequitur. Et alioqui non posset contra nocentes bellum geri, & sic causa bellantium frustra esset justa.

2. Licet spoliare bonis cives etsi non pugnantes, qui sunt membra Reip. hostilis, si hoc necessarium sit ad finem belli: quia cum sint pars Reip. ipsa justè punitur in illis, & debilitatur privatione, bonorum, quæ ejus Dominio subjiciuntur.

3. Licet uti insidiis, & stratagematibus, ex Josue cap. 8. & cap. *Dominus* sup. cit. quia non sunt mendacia, sed occultatio veritatis.

4. Civitas capta dari, sine gravi necessitate, non potest in prædam, propter multa scelera, & mala, quæ in tali deprædatione à militibus committi solent. Et si detur, tenentur duces diligentissimè curare, ne scelera committantur.

5. Ea, quæ caveri nullâ prudentiâ possunt, ut veneno inficere puteos, aquas,

Hh 2 glan-

glandes, non licent: quia sunt contra jura belli, & gentium. Item Christiani à Christianis capti non possunt fieri servi, nam id ex consuetudine gentis christianæ receptum est, in honorem Religionis Christianæ, & libertatis, quam per Christum consecuti sumus: unde esset contra jus gentis christianæ.

6. Non licet victori retinere Urbes captas, & alia bona immobilia hostium, nisi quatenus debitam compensationem, vel satisfactionem non excedunt, vel necessaria sunt ad securitatem in posterum contra victos stabiliendam; nam compensatio debet esse commensurata debito, & pœna culpæ, alioqui est injusta.

7. Princeps tenetur inchoatum bellum finire, si æqua satisfactio offeratur, securitas sufficiens præstetur, & compensentur impensæ belli: quia tunc cessat causa continuandi belli, quod proinde jam foret illicitum.

Resp. III. Jure naturali nihil fieri licet contra justitiam, jus gentium, fortitudinem, Charitatem & veram Religionem. Et fides data hostibus servanda est, ex S. August. in cap. *Noli*. nam hæc obligat jure naturali, & gentium; & hoc necessarium est ad pacem, ac bonum commune regnorum. Nam si fœdera publica inter regna, & Principes non obligarent, nec necessario servanda essent; nulla pax aut societas
inter

inter genus humanum consistere posset. Quod intellige, nisi hostes ipsi fidem fregerint: nam tunc est quædam compensatio; & pacta censentur fieri sub hâc conditione, si alter promissis steterit, nec fidem fregerit.

Resp IV. Tenentur Princeps, & ejus Duces militibus justa stipendia solvere, & impedire omnia crimina, quæ impediri moraliter possunt; curarêque, ne proprii subditi iniquis vexationibus graventur: alioqui tenentur ad compensanda damna secuta ex omissione solutionis, vel diligentia debita, cum sint eorum causa contra proprium officium, & justitiam.

Resp. *Ex communi* Bona justo bello capta, si sint immobilia, cedunt Principi aut Reip. si mobilia, sunt capientium. Nisi ex consuetudine regionis ea dividenda sint inter milites, aut una pars cedat Principi. Tamen bona injustè acquisita ab hostibus, restitui debent eorum Dominis, ex l. 20. ff. *de Captivis*, cum jus habeant in illa.

Q. 4. *An Represalia licita sunt?*

Resp. Aff. Positis certis conditionibus: quia auctoritate publica usurpari possunt per compensationem bona subiecta Dominio Reip. quæ in culpa est, dum non procurat reparationem injuriæ à suis membris illatæ alterius Reip. civibus. Sed hæ

conditiones requiruntur. 1. Ut constet de injuria illata. 2. Ut Princeps vel Magistratus civium nocentium rogatus debitam satisfactionem deneget. 3. Ut fiant auctoritate Principis civium læsorum. 4. Ne plus damni inferatur, quàm justa satisfactio requirit. 5. Ut non fiant in personas Ecclesiasticas, & earum bona, cap. *Un. de injur. in 6.*

§. IV.

De Scandalo.

Q. I. *Quid est Scandalum?*

Resp. *Q* Generatim duplex est, nempe activum, & passivum. Scandalum activum est dictum, vel factum minùs rectum præbens alteri occasionem peccandi. Sub dicto, vel facto comprehenditur etiam omisio externa: nam qui omittit agere vel loqui, quod debet, aliis est scandalum. Dicitur minùs rectum, hoc est, quod vel malum est, ut si turpia loquaris coram adolescente; vel mali speciem habet, ut si mulierem suspectam domi tuæ aleres, licet cum ea nec peccares, nec periculum tibi esset cum ea peccandi; aut si justa de causa, coram aliis eam ignorantibus, comedas carnes die vetito. Unde illud 1. Ad Thess. 5. *Ab omni specie mala abstinete vos.*

Scan.

Scandalum passivum est ipsa ruina, seu peccatum proximi, ex occasione facti, vel dicti vel omissionis alterius commissum. Dividitur in scandalum pusillorum, seu infirmorum, quod oritur ex ignorantia vel infirmitate peccantis; & in Pharisaicum seu merè acceptum, quod oritur ex ipsa malitia. Sic vocatur, quia Pharisei ex insigni malitia occasionem peccandi ex sanctissimis Christi dictis & factis sumebant.

Q 2. *An Scandalum est speciale peccatum?*

Resp. I. Dare scandalum directè, inducendo scilicet proximum ad peccandum, etsi non ex intentione expressa, ut peccet, & pereat, sicut facit dæmon, sed propter utilitatem, vel voluptatem aliquam propriam, aut alterius, est peccatum speciale contra Charitatem. Nam Lex Charitatis in Deum, & proximum, vetat, ne offensam Dei, & malum spirituale proximi quovis modo procuremus. Præterea hoc directè opponitur præcepto correctionis fraternæ, cum sint contraria revocare proximum à peccato, & eum in illud inducere.

Imò talis inductio habet duplicem malitiam in Confessione exprimendam, unam contra Charitatem, & alteram contra vir-

tutem, cui repugnant opus illud malum; nam singulae virtutes obligant directe ad suos actus eliciendos, & indirecte ad non procurandam sui violationem in aliis. Præterea inducens consentit peccato, ad quod inducit: ergo illius reus est; nam ex Rom. i. eadem poenâ æternâ digni sunt qui faciunt, & qui consentiunt facientibus.

Hinc 1. nunquam licet petere ab alio, vel ei suadere id, quod ipse non potest sine culpa præstare; nam hoc esset inducere in peccatum.

2. Qui foeminam induxit ad fornicationem, peccat tum contra Castitatem, tum etiam contra Charitatem, cum fuerit ei causa ruinæ: unde hæc circumstantia inductionis in Confessione explicanda est, idque etiam si ipsa fuerit parata ad malum: nam non est hic & nunc in actuali voluntate peccandi, sed solum in habituali: unde sine tua inductione hic & nunc non committeret hoc peccatum.

3. Consilium pravum specificatur à peccato, quod consulitur, & est etiam contra Charitatem.

4. Laudans alium de peccato commisso, vel vituperans, quod non commiserit, tenetur explicare speciem peccati, circa quod fuit laus, vel vituperium: nam illæ laudes, vel vituperia sunt exhortationes ex se ordinatæ, ac aptæ ad peccatum admittendum

dum, & ad complacendum de illo, si commissum est: quare sumunt ab illo suam specialem malitiam.

Resp. II. Dare scandalum indirectè tantum, non intendendo peccatum alterius, nec ad illud inducendo, sed præcisè faciendo, vel dicendo coram illo aliquid malum, vel mali speciem habens, est peccatum mortale ex genere suo, & speciale contra Charitatem. *Ita S. Antonin. Navar. Suarez, Valentia, & alii multi* Prob. 1. Ex Mat. 18. *Væ homini illi, per quem scandalum venit.* Ubi Christus loquitur de scandalo simpliciter, & generaliter. Et ex Rom. 14. *Si propter cibum frater tuus contristatur; jam non secundum Charitatem ambulas.* ubi agitur de cibis lege veteri abrogata vetitis, sed jam licitis. Et ex 1. ad Cor. 8. *Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis, &c.* Ubi ut grave peccatum contra Charitatem reprehenditur scandalum indirectum, quo fideles plenè instructi carnes idolo immolatas comedebant, coram infirmis falsò putantibus, id esse de se illicitum, qui inde præter intentionem comedentium impelli poterant ad eas contra conscientiam erroneam comedendas. 2. Quia secundum omnes Lex Charitatis in Deum, & proximum obligat ad cavendum, & impediendum etiam in aliis peccatum, quod est of-

fenſa Dei, & maximum malum proximi. Item obligat ad proximum à peccato per correptionem fraternam retrahendum: ergo à fortiori obligat ad non conjiciendum eum per ſcandalum in peccatum, vel ejus periculum. Et verò ad contrahendam malitiam aliquam ſufficit, ut liberè fiat id, quocum conjuncta eſt, & cognoſcitur, vel cognoſci poteſt, ac debet eſſe conjunctiva; nam tunc illa malitia eſt ſaltem interpretativè volita.

Imò hoc ſcandalum indirectum, *ex communi*, contrahit etiam malitiam peccati, cujus datur occasio, exprimendam in Confessione. Tum quia dans illud, vult ſaltem interpretativè tale peccatum alterius, volendo ſine juſta cauſa id, ex quo prævidet ſecuturum, vel ejus periculum: tum quia virtus omnis non ſolum vetat actus ſibi contrarios, ſed etiam ne detur aliis occasio illos ponendi.

Eſt autem mortale, ſi detur occasio culpæ mortalis: veniale verò, ſi detur ſolum occasio venialis, ſecluſo periculo gravioris mali; nam licet peccatum veniale ſit gravius malum quolibet temporali, eſt tamen leve in ſuo genere, & reparatu facile. Hinc peccant mortaliter contra Charitatem, & caſtitem. 1. Qui imagines, vel ſtatuas nudas faciunt vel palam exponunt: nam hæ æquè ſaltem inducunt ad peccatum, quam ſermo obſcœnus. 2. Qui
ſcri-

scribunt, imprimunt, recitant, tradunt libros amatorios, cantilenas, turpes, &c. Item qui componunt, vel agunt comedias obscenas, aut periculosas. ratione verborum, factorum, aut gestuum. Nam hi omnes sunt causa ruinæ multorum. Nec refert, quòd eam non intendant; nam dant ei sufficientem causam. Item qui sua præsentia eas approbant, iis consentiunt, & cooperantur solvendo mercedem agentibus. 3. Fœminæ, quæ nudum pectus gestant; nam hæc denudatio apta est scandalum parere infirmis, & Christianæ modestiæ, ac sanctitati repugnat. Nec potest excusari consuetudine, utpote contraria præcepto divino. 4. Puella, quæ sine iusta causa se præbet conspiciendam ei, à quo putat se turpiter concupiscendam, licet id faciat ex mera vanitate, & sine animo ejus amorem excitandi. *Ita comm.*

Præterea observanda sunt sequentia.

1. Peccatum scandali hoc ipso committitur, quòd detur proximo occasio peccandi, quamvis is re ipsa non peccet: nam ad hoc satis est, quòd peccatum proximi ex tua actione, vel omissione minus recta in talibus circumstantiis, spectata ejus fragilitate, sequi probabiliter possit. Nam tunc ei creas probabile periculum peccandi: & quòd tunc non sequatur peccatum, per te non stat, sed per ipsum: sicut mortaliter

liter

liter peccat, qui explodit catapultam cum periculo occidendi hominem, licet nullus reipsa occidatur.

2. Peccatum coram aliis commissum habet malitiam scandali tunc solum, quando est periculum probabile, ne ii, coram quibus committitur, inde impellantur ad peccandum. Hinc blasphemia coram solis Religiosis non habet rationem scandali. Qui verò publicè peccat, tenetur eam scandali circumstantiam confiteri, ratione periculi, cui se incitandi multos suo pravo exemplo exponit, ut rectè docent Azor, Sanchez, & alii.

3. Numerus eorum quibus scandalum datur, debet in Confessione declarari, sicut numerus hominum uno ictu occisorum: nam numerus se habet ut objectum peccati, illudque in suo esse individuali constituit; deinde non solum aggravat, sed etiam multiplicat peccatum.

4. Actus venialis, vel ex objecto indifferens potest esse mortalis ratione scandali, quando à tali persona, & coram talibus fit, ut probabile sit periculum, ne inde alii ex infirmitate, vel ignorantia sumant occasionem peccandi mortaliter, ex cap. 2. *De novi oper. nunt.* Nam ex 1. ad Cor. 8. supra cit. comestio carnis idolo immolatæ, quæ per se licita est, fit mortalis ratione scandali.

5. Cùm fit actio de se licita, quæ aliquam

quam speciem mali habet, tollitur scandalum declarando justam causam agendi, quando hoc sufficit ad amovendam suspicionem omnem mali. Sic comedens carnes die vetito ob rationem occultam, impedit scandalum, hanc aperiendo.

6. Quamvis juxta multos liceat, non auferendo occasionem peccati, permittere unum peccatum, ut impediatur plura, v.g. liceat hero non auferre occasionem furandi famulis, aut filiis, quos ad furandum propensos, ac paratos novit, ut sic deprehensi puniantur, & resipiscant; eo quòd tunc rationabiliter permittat furtum unum, ut vitentur plura. Non licet tamen talia ultrò ponere, aut pericula objicere: quia esset positivè cooperari peccato, & occasionem præbere, ac creare alteri periculum peccandi, quod non licet.

Q. 3. *An tenemur omittere opus de se non malum, nec speciem mali habens, ob scandalum passivum aliorum vitandum?*

Resp. I. Non tenemur illud omittere ob scandalum ortum ex malitia, cum adest rationabilis causa, ut utilitas magna nostra, vel aliena, etiam temporalis. *Ita S. Thom.*
 q. 43. a. 8. quia cum scandalum illud ex sola malitia scandalizati oriatur, ei soli imputatur: alioquin quivis per suam malitiam posset impedire commoda aliorum. Si
 ta.

tamen nulla esset necessitas, vel notabilis utilitas opus illud faciendi, omitti deberet: quia tenemur ex Charitate impedire peccatum proximi, etsi ex sola ejus malitia secuturum, cum nulla adest justa causa illud permittendi. *Layman, Valentia, & alii.*

Resp. II. Ad vitandum scandalum passivum ex infirmitate, vel ignorantia ortum, tenemur omittere opus utile non malum, nec mali speciem habens, vel saltem differre, donec proximus moneatur, ne scandalizetur, cum id sine gravi incommodo possumus: nam ex lege Charitatis tenemur impedire peccatum proximi infirmi, cum possumus sine gravi nostro incommodo, seu damno, ex Eccli. 17. *Mandavit illis unicuique de proximo suo.* Hinc mulier, quæ prævidet aliquem in particulari ex suo aspectu sumpturum occasionem peccandi ob infirmitatem, tenetur vitare ejus conspectum, cum potest sine gravi incommodo. Non est tamen obligatio omittendi actionem de se licitam, nec habentem per se, aut communi prudentum judicio speciem mali, ne quis generatim, ac indeterminatè sumat inde occasionem peccandi: nam alioquin hoc esset onus intolerabile, & obnoxium innumeris Scrupulis. Hinc mulier, ad vitandum periculum vagi ac indeterminati scandali, non tenetur abstinere ab ornatu honesto, & ordinario secundum
suam

suam conditionem: secus, de extraordinario, nec convenienti.

Q. 4. *An omitti debet opus bonum ad vitandum scandalum passivum pusillorum, seu infirmorum?*

Resp. I. Ad vitandum scandalum nunquam licet facere actionem prohibitam lege naturali: quia nunquam licet facere actionem intrinsecè malam, seu dedecentem naturam rationalem. Neque etiam licet omittere actum lege naturali præscriptum, in iis circumstantiis, in quibus præcipitur: quia omissio talis actus est intrinsecè mala, cum lex naturalis non præcipiat, nisi id, quod est necessarium ad honestatem morum, spectatis omnibus circumstantiis. Constat etiam ob scandalum aliorum nunquam posse omitti ea, quæ necessaria sunt necessitate medii ad salutem: quia (ut ait S. Thom. q. 43. a. 7.) *Secundum ordinem Charitatis plus debet homo suam salutem spiritualem diligere, quàm alterius.*

Item non licet ob scandalum passivum omittere opus bonum in detrimentum Fidei, vel boni communis spiritualis. Quò spectat illud S. Gregor. Hom. 7. in Ezech. *Si de veritate scandalum sumitur, utiliùs permittitur nasci scandalum, quàm veritas relinquatur.*

Resp.

Resp. II. Ad vitandum grave scandalum pusillorum multi putant debere præmitti præcepta merè positiva, præsertim humana, nisi ex ejusmodi omissione majus damnum immineret omittenti, vel aliis. Sic si te ituro ad Sacrum die Festo excitanda sit cædes, vel gravis rixa, non debes ire. Item si mulier prævidens in sui aspectu aliquem in particulari scandalizandum ex infirmitate, tenetur omittere Sacrum etiam die Festo semel, aut iterum: quia cum præcepta omnia Charitati deserviant, & ei tanquam fini subordinentur; non obligant in iis circumstantiis, in quibus Charitas dicitur omittendam eorum observacionem, ut impediatur grave peccatum proximi.

Resp. III. De bonis operibus, quæ sunt solum Consilii, docet S. Thom. 43. a. 7. ea omitti non debere, ad vitandum scandalum ex mera malitia acceptum, juxta illud Matth. 15. *Sinite illos cæci sunt*, &c. Nam Pharisei scandalizabantur, quòd Christus cum Publicanis, & peccatoribus comederet, nec propterea id omisit. Et alioquin quis sua malitia posset bona spiritalia aliorum impedire.

Si verò scandalum ex infirmitate, aut ignorantia oriatur, occultari debent vel interdum differri, donec ratio sic agendi proposita sit; nam ex lege Charitatis tenemur proximi ex infirmitate, vel ignorantia

lap.

lapsuri ruinam impedire, cum facile possu-
mus, cum tale opus non sit præceptum,
nec necessarium, & illud differendo, vel
etiam omittendo ad impediendum pecca-
tum proximi, exerceamus actum Charitatis
magis meritorium, quam foret ipsum opus,
quod omittitur.

Quòd si post redditam rationem non
desinant inde scandalizari; tunc scandalum
ex mera malitia oritur, & sic propter ip-
sum non esse dimittenda bona odera, do-
cet S. Thom, *ibid.*

Q. 5. *An licet minus peccatum suadere
volenti committere gravius, quando
aliter gravius impediri
nequit?*

Resp. Id non licet loquendo de suasio-
ne, aut alia inductione directa. Tum quia
semper per se malum est inducere ad pec-
catum quodvis, etsi leve: nam nunquam
licet facere malum, nec proinde illud con-
sulere, ne quidem, ut eveniant bona, ex
Rom. 3. Tum quia qui consulit minus pec-
catum, etiamsi consulat ad impediendum
majus, in peccatum illud minus consentit,
illudque approbat, quod est intrinsecè ma-
lum. Tum quia suadens esset moralis cau-
sa peccati minoris, ad quod alter non erat
determinatus: ideòque ei meritò imputa-
retur. Porro illud effatum: *E duobus ma-*

lis minus eligendum est: non habet locum in peccatis, quæ libere fiunt, & vitari possunt; sed in iis solum malis, quorum unum sustinendi necessitas incumbit.

Tamen volenti duo peccata inæqualia committere, suadere licet, ut relicto graviori, contentus sit minus gravi: quia hoc non est propriè suadere minus peccatum, sed solum omissionem gravioris. Idem dic, quando minus est pars inclusa in majori, ut si determinato ad furandum centum dicas, ut sit contentus quinque: quia tunc solum abducis à parte peccati; modò id fiat respectu ejusdem personæ: nam volenti furari Petro suadere non licet, ut Paulo minus furetur: quia hic æquè jus habet ad suum minus, quàm ille ad suum majus, & hoc jus tunc violares. Sicut non licet Petro eripere bonum, ut Paulo etsi egentiori detur.

Q. 6. Quando nam est peccatum scandali vendere, vel dare alteri rem, aut operam de se licitam, qua male usus prævidetur, vel probabiliter putatur?

Resp. I. Peccatum est, quando denegari potest sine gravi damno: quia secundum omnes, teste De Lugo, quisque tenetur ex Charitate impedire peccatum proximi, si potest saltem sine gravi incommodo; & à for-

fortiori tenetur non suppeditare materi-
am, vel operam, quâ usus est ad peccan-
dum: nam Charitatis est velle bonum di-
lecto, & remove malum illius. Deinde
quisque tenetur peccantem corripere,
scandalum amovere: ergo & à fortiori
materiam peccandi non præbere. Præ-
terea talis meritò censetur saltem interpre-
tativè velle ruinam alterius.

Hinc mortaliter peccant caupones, qui
secundam refectionem bene pransis, vel
carnes die jejunii præbent hospitibus, quos
sciunt vel prudenter judicant non habere
dispensationem, nisi fortè ex denegatione
gravissimum malum ipsis immineat, ut
mors, incendium, vulnera, &c. Secus, si
ista præbeant viris honestis petentibus, de
quorum dispensatione non certò iis con-
stet: nam in dubio debent præsumere esse
legitimè dispensatos. Item qui præbent
vinum copiosum iis, quos eo inebriandos
prævident: nam sine justa causa omittunt
impedire peccatum proximi, imò materiam
peccandi suppeditant, cum moraliter pos-
sint, & debeant iis denegare. Nec lucrum
est quærendum ex casu, in quo est alterius
peccatum; nec est tanti momenti, cum
tamen ebrietas sit damnum maximum ani-
mæ, & corporis, & scandalosum, ac sæpe no-
cendi injustè aliis occasionem, & causam
afferens. *Ita Sanchez, Valent. & alii.*

Idem dic de iis, qui vendunt venenum

li 2

aliis,

aliis, quos non constat benè usuros, v. g. ad confectionem medicinæ, vel colorum, aut merces iis, qui abusuri sunt. Neque hi excusantur, eò quòd si non vendant, alii vendituri sunt; quia isti peccabunt vendendo: non licet autem peccare, eò quòd cæteroquin alii sint peccaturi; neque factum aliorum immutat tuam cooperationem.

Neque etiam excusantur, eò quòd ii, quibus ista tradunt, jam sint animo parati ad peccandum: quia adhuc cooperantur actui externo malo, quo prava illa voluntas executioni mandatur. At peccatum est non solùm velle malum facere, sed etiam facere, & exequi malum, & ejus executioni cooperari; nam Lex non solùm voluntatem furandi v. g. se inebriandi, &c. Sed etiam ipsum furtum actuale, ipsam ebrietatem, ejusque cooperationem vetat; & actio externa, seu executio rei illicitæ dedecet naturam rationalem, estque illicita.

Resp. II. Non licet præbere operam, vel rem aliquam, quæ in talibus circumstantiis proximè ad peccatum adjuvat, & ad illud determinatè ordinatur: quia tunc est moraliter cooperari peccato alterius. Hinc Innoc. XI. damnavit hanc propos. *Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandum virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam.*

nuam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur. Nam hæ actiones in talibus circumstantiis proximè ad peccatum adjuvant & ordinantur.

Resp. III. Licet rem, & operam ex se licitam, nec per se, ac proximè ad peccatum concurrentem præbere eâ abufuro, si adsit causa iusta, & proportionata excusans, & delit intentio cooperandi ejus peccato, nec alter abutatur contra bonum Reip. vel Ecclesiæ. Nam tunc ista suppeditans, in æstimatione prudenti, non censetur cooperari alterius peccato, sed solùm illud permittere ex urgenti causa, ob quam non tenetur illud impedire; & peccatum soli malitiæ abutentis imputatur.

Hæc autem causa tantò gravior, & urgentior debet esse. 1. Quantò gravius est peccatum, quod non impeditur. 2. Quantò subministratio tua minùs remotè illud attingit. 3. Quantò probabilius est te non suppeditante alterum non executurum peccatum. Item *ex communi*, requiritur major causa, quando alter non est paratus ad peccandum, quia gravius malum patitur. 4. Si abufurus sit contra justitiam: tunc enim requiritur tantum malum vitandum, quod ex Charitate non tenearis subire, ad impediendum tale damnum

tertii: nam strictius tenemur impedire peccata alterius, quæ nocent aliis, quam quæ non nocent: in his enim solus peccans damnum spirituale voluntariè subit, in illis autem insuper innocens damnum iniustus patitur.

Hinc 1. Parochus potest, & debet Eucharistiam ministrare peccatori occulto eam publicè petenti.

2. Excusantur caupones vinum vendentes militibus abusus ad ebrietatem, si denegare non possint sine damno vitæ, vel bonorum omnium.

3. In necessitate licet ab alio petere, quod potest sine peccato facere, quamvis pravi deatur peccaturus, v. g. mutuum, quò indiges ab usurario,



TRAC-